

# Rerum Sicularum libri

---

[Page 205]

INCIPIT LIBER PRIMUS

PROEMIUM

Honorabili coetui et reverendae universitati  
officialium curiae domini papae ac metuendorum  
virorum procuratorum in audiencia, Sabas  
Malaspina, decanus militensis, ejusdem domini  
papae scriptor, cum promptitudine serviendi  
se totum.

Opus transmitto vobis, quod forsan magis posteris,  
quam modernis, erit ad aliquod oblectamen,  
in eo quod nuper, ne segnis otiositas praesentis  
vacationis indictae lubricum quid sub silentio  
pariat, et quae antiqui hostis sunt arma  
pro hebetibus animabus illudendis et captivandis  
contra quietum spiritum muniant sedulum  
humani generis inimicum, volui seriose opportuna  
otia voluntariis levare laboribus, et pigri  
tantis de more sensum, qui plerunque levibus oneribus  
expergiscitur, dictationis eloquio experiri.

Cumque non semper eorum, quae dicuntur,  
terminus quaerat laudem, sed nec colonum  
excitatum ad operas culturae virentis gloria refocillet,  
nemo improbe credat linguam et calamum  
tam cito ad laudis gloriam licentiatos, ut currant,  
sed ut quaedam gesta regum Siciliae memorata  
recenseant, et memoriae recensita commendent.

Placuit ergo sine verbosae digressionis  
anfractibus a primis Manfredi natalibus usque  
ad tempora Karoli filii Ludovici Catholici regis  
Franciae gesta retexere, nec ambages inserere,  
aut incredibilia immiscere, sed vera, vel  
similia, quae aut vidi, aut videre potui, vel audivi  
communibus divulgata sermonibus, stilo prosaico  
sub ordine contexta narrare. Haec quidem  
esto forsitan usquequaque non prosint, pro eo quod  
non semper ex dictis quibuslibet profectus exquiritur;  
sique etiam superstites non delectet, aut  
non allicit animos modernorum, ex eo videlicet,  
quod eorum fortassis adhuc tamquam recentium  
memoriam retinent, sequentium tamen,  
orientorumve posteritas aliquid sibi, quod delectet,  
inveniet in legendendo. Consuevit enim ratio  
naturalis vestigare in remembrance praeterita,  
et antiqua digna veneratione praecolere vestigata.  
In assumpti ergo praesentis operis auxilium non  
deos alienos, aut antiquos superos invoco, ut assistant,  
sed illius primordialiter omnipotentiam  
Trinitatis peto suppliciter assistricem, quam uni absque  
divisione Divinitas, et trinus complet numerus

[Page 206]

personarum: flagito etiam et vos mihi fore  
proprios et exhibidores favoris, quorum volo ut in  
opere sit laus et gloria, et non mihi, et quibus sum  
ego minimus, nec dignus vocari socius, sed singulorum  
servitor, quibus et subesse volo, et subijci,  
et placere, cum eorum cuiuslibet non sufficiam  
calciamentorum solvere cingulum, aut vestimentorum  
fimbriam contrectare. Parcite adhuc,  
quaeso defectibus, et tales mei operis estote, precor,  
interpretes, ut sub vestri promotione consilii  
non pereat vel negligatur res perquisita laboribus,  
sed perenni memoria observetur.

CAPUT PRIMUM

De Manfredi ortu, nec non de eius virtutibus.  
Olim de semine Frederici lombardi quadam  
parturiente Manfredum, prona hominum ad credendum  
quaeque relata tenet opinio, quod formae  
geminae mulierum super Tusciam in aëre nubigero  
comparuerunt humanis obtutibus, pendentes  
ut nebula super terram, quarum nomina vox  
magni tonitri quasi rauca concavitate crepitantis  
verisimiliter confundebat. Sed non vane hominum  
conciunt intellectus alteram, secundum  
quod discerni potuit, vocari posse Gebelliam, alteram  
vero Guelfam. Eae, ut aiunt, junctis brachiis  
invicem collectantes, alterna corpora mutuo  
perurgebant; et, dum, ab aurorae rutilo, usquequo  
sol tenuit in medio axe iter, durante duello, manuali  
pugna concertant, nunc illa desubius ignominiose  
depellitur, nunc eadem rediviva compulsa  
alteram premens pedibus, victoriosa eminet et  
laeta triumphat. Modo illa videtur resupino corpore  
ruere, modo haec eadem, facie accensa resultans,  
caput gaudet secundae conterere frequentium  
inculcatione pugnorum. Sicque variatur  
ultriusque Victoria, et mutuus denuo nutat ascensus;  
neutra diu subest alteri conculcata, et, altera  
alteri praelata vicissim, in eminentiori stat  
modicum. Evanescunt alternatim metus et gloria  
victoris et victae, ac alterius ascensus et casus  
habet subsistentiam momentalem. Et adeo videntur  
Victoriae vices aequae, quod qui vidit collectationes,  
hujus impulsus et repulsus alternos  
pari potuit dinumeratione metiri. Sed, licet praedictus  
Manfredus, tanquam ex damnato coitu derivatus,  
defectum natalium patiatur, nobilis tamen  
naturae, decus utriusque parentis, qua ortus  
eius esse meruerat generosus, maculam fere  
defectus hujus expiabat; ac decor tantus erat infantis,  
quod non ex ancilla secundum carnem,  
sed per reprobationem allegorice natus videbatur  
ex libera: crescensque forma praestabili, et [Page 207]

continua bonitatis recipiens incrementa, meruit  
accurate ab Augusto tractari, et custodiri pariter  
sicut filius legitimus diligendus. Profecit nimirum  
in liberalibus artibus, ac virtute magna  
et moribus magnificatus est inter nobiles, tanquam  
summis fuisse gymnasii eruditus. Incomparabilem  
emit sedulo labore scientiam, et morum  
erudimenta non segnis attenta sollicitudine  
comparavit. Hunc jam adultum persona dotibusque  
personae grandaeum Fredericus ejus genitor,  
antequam fieret anathema, prius quam  
esset etiam irrefragabili depositione percussus,  
filii preferens eum, tandem principatu Tarentino  
donavit, in quo nomen et decus principis  
studebat laudabiliter promereri. Tradiditque sibi  
uxorem nobilem mulierem natam Amedei comitis  
Sabaudiae, nomine Beatricem.

## CAP. II

Frederici imperatoris anathema et obitus.  
Postquam vero coruscationes suas sedes apostolica  
coruscavit, ut dissiparet Caesarem, omnesque  
vitis ejus palmites obtruncaret, ac misit  
sagittas praepetes cum maledictionis suaे violentia,  
ut perenniter totam posteritatem caesaream  
conturbaret; cordibus Frederici, totiusque  
familiae, variis contra ecclesiam inebratiis erroribus,  
erynnis saeva, quae est furia infernalis,  
cum sororibus baccatrix irrepsit, eumque antiqua  
serpentis latius momordit astutia, et propensius  
fraus diabolica circumvenit. Adeo enim praeconcepto  
veneno et fermento solitae malitiae ac  
nequitiae totam infect Italiam, quod, votis ubique  
omnium divisis in partes, quicunque in terra  
propria poterat aliquid, necessario de parte  
imperii, aut de parte nominatim ecclesiae, censembar.

Divisionis igitur error per universam  
Italiam coepit paulatim succrescere, et partium  
vitiosa dissentio in qualibet adeo provincia inolevit,  
quod sub gibellinitatis pallio sub favore  
partis imperii cocca pullulabat haeresis et foeda  
infidelitas germinabat. Etsi quando saltus harum  
vulpium et cavernas sagax religiosorum industria  
per sedem apostolicam contra hujusmodi  
pessimos christianos electa volebat industriose  
perquirere, ipsarumque vestigia perscrutari,  
nonnulli credentes et pravitatis tam insanae fautores,  
aut latitantia tantae iniqutatis germina  
inoffensa favebant, aut compertam frequenter sub  
latebris et ambularem sub tenebris et umbra mortis  
superstitiositatis hujusmodi nequitiam defendebant,  
sicque sine cuiusquam repressionis obice  
undique suos errores disseminabant haeretici et  
diffundebant impune venena. Verum, ut ars praecipitii[Page 208]

de suo triumpharet actore, dominus Innocentius  
Papa IV in generali concilio apud  
Lugdunum contra Fredericum imperatorem, penes  
quem nulla salutis proficiebant consilia, nec  
conatus apostolici studii proderat, tanta erat ejus  
execrabilis pertinacia pravitatis, justae damnationis  
sententiam, eodem approbante concilio,  
promulgavit. Innocentio vero Italiam repetente,  
et mandante contra Fredericum praedicari  
publice verbum crucis, Fredericum praedictum  
apud quoddam castrum, quod Florentinum  
dicitur, prope Luceriam Sarracenorum, mors inopinata  
momordit, et omnes ejus semitas, sive diversoria,  
in arto concludens, lubrica ejus vestigia  
decurtavit. Sed, auditu mirabile! iste Caesar,  
qui fuerat in orbe monarcha, et per universa  
mundi climata gloriosus cooperat venerari, credens  
fortassis suam cum superis per artis experientiam  
mathematicae coaequare naturam, qui  
mores ante lapsum erroris cum magnis aequarat,  
studuit rerum opiniones sollicita curiositate  
perquirere, ac profunde coelestia perscrutari;  
sicque dum subtili indagatione naturalia vestigabat,  
astrologos et nigromanticos adeo venerabatur  
et aruspices, quod eorum divinationibus et  
auspiciis Frederici velocissima cogitatio ad similitudinem  
venti motu celeri denuo vagabatur.  
Cumque hujusmodi aruspices dixissent se arte  
sortilega comperisse quod Fredericus debebat sub  
flore marcescere, per eorundem interpretationes  
Fredericus praedictus desiderans fieri contra  
naturam corporis immortalis, Florentiam  
et Florentinum in Campania quantum potuit evitavit.  
Sed, dum frustra locum mortis evitat, qui  
nec tempus praevidere, nec mortis terminum fugere  
poterat, quantilibet adjectione remedii, lapsus  
est in laqueum improvisum, qui omnem finaliter  
illaqueat creaturam.

### CAP. III

Uti rex Corradus, urbe Neapoli potitus, ibi cum  
fratre Manfredo plena pace fruitur.  
Postmodum autem, licet regnum Siciliae foret  
ad dispositionem ecclesiae romanae, cuius  
juris et proprietatis extitit, libere devolutum,  
rex Corradus, ejusdem Frederici filius, regnum  
ipsum occupans, eo, non tanquam alieno, sed  
velut re patrimoniali, quam sibi credebat ex paterna  
successione competere, coepit uti. Et, dum,  
inter haec, civitas Neapolitana, quam reddit amoenus  
loci situs et civium copiosa multitudo nobilium  
super omnes Terrae-Laboris metropoles  
generosam, non immemor sententiae depositionis  
et irrefragabilis privationis edicti contra Fredericum  
et successores suos per sedem apostolicam  
promulgatae, Corradum praedictum recipere  
tanquam ecclesiae devota contemneret, ac

spectans denuo sibi per sedem apostolicam potenti  
subsilio subveniri, angustata per mare ingenti  
navigio et per terram exercitu copioso,  
tamdiu Corrado praedicto parere aggressi resistantia  
recusavit, quamdiu defensoribus victualia  
duraverunt; quibus omnino deficientibus, aliquamdiu  
ad carnes morticinas animalium hebetum,  
quas palatus naturaliter aspernatur humanus,  
nec non ad herbas neglettibiles, quibus vix  
brutum pascitur animal, urticas videlicet atque  
malvas, frondesque ficuum et aliarum arborum,  
ora famelica converterunt. Iis autem postmodum  
cum longa terrae vastatione consumptis, nullum  
civitati praedictae sede apostolica destinante subsidium,  
urgenti iugo colla necessario fatigata  
submisit, antiquis moenibus et muris altissimis  
funditus interdum propter hujusmodi pertinaciam  
desolata. Tandem idem Corradus in regno  
praedicto plenum per violentiam et per amicitiam  
etiam sine obice principatum coepit in olla  
paternae nequitiae veneno ebulliente fervescere,  
ac succedens vitiose vitio genitoris, complices et  
fautores quandam Caesaris studuit excitare sepultos,  
et factos jam hebetes perditio capite contra  
redivivam ecclesiam provocare, totamque  
partem gebellinam adeo nisus est diversorum subsidiorum  
fovere vigore, ac relevare qui ceciderant  
pene superbos, quod nec in patrimonio ecclesiae  
absque persecutionis durae iaculis summus  
pontifex morari tute valebat, nec apud Italicos  
pro publicae salutis emolumento aliquid  
exercere. Unde dominus Innocentius praedictus,  
videns ex tempestatis tantae procella sentinam apostolicae  
naviculae aqua amaritudinis plenam,  
Perusium naufragus usque perrexit; ibique rege  
Corrado agente in Apulia, morabatur. Sane,  
Manfredo in fraterna gratia persistente, quem  
nondum suae sortis fortuna tetigerat, sed necdum  
excogitatae in fratrem fraudis fomite revelato,  
Corradus praedictus, in regali pompa deliciis affluens,  
cum eodem Manfredo multisque proceribus  
alamannis, et regni baronibus, et nobilibus  
aliis, in pacis tranquillitate saluberrima regni  
temperatione perfruit, oculorum in rerum  
varietate grata speculatione depascitur, sonoris  
delectatur auditibus, et harmonicis delectationibus  
inaestimabili modulatione pacatur, suavissimis  
iocundatur odoribus, et epulatione gusti necessaria  
delinitur. Favet Manfredo affectione fraterna,  
et eum honorat adeo, ac si ambos unus  
uterus peperisset. Manfredus enim respective lucifer  
dici poterat in tota posteritate caesarea,  
tum quia prae tabili forma decorus, et literatura  
dotibus redimitus alios meritis excellebat,  
tum etiam quia se industriose omnibus reddebat  
amabilem, et baronum sensus blandimentis noverat  
placilibus demulcere, et ceterorum se moribus  
conformare.[Page 210]

#### CAP. IV

Corradus, malitia atque dolo sui fratris, veneno moritur,  
*bajulum* in regno constituens pro unigenito  
suo. Corradino marchionem Bertholdum de Hohemburg  
alamannum. Manfredus vero a papa Innocentio,  
qui valde ea morte lactatus est, in amorem romanae  
ecclesiae susceptus, ac magnis affectus beneficiis,  
ad fidem et amicitiam suam omnes allicit.  
Sed jam benivolentiae omnium placibilitatis  
studio coaptatus, fraternae factus impatiens dignitatis,  
coepit intrinsecus latentis invidiae nutrire  
fomenta, et livoris occulti fervorem, praearaldi  
cordis magnitudine, machinationis igne supposito,  
detractionis flamma et oblocutricis murmurationis

pruna succendere ac fovere, ita quod  
fraterna nulla consideratione hujus fuit invidia  
quando primi Urbis muri fraterno sanguine maduerunt,  
sed nec alia, quae insidiata est fratri  
offerenti manipulum pinguorem. Nihilominus  
tamen Manfredus fratri quantum poterat grato  
famulari nitebatur obsequio, et obsequiositatis  
sedulo studio complacere, ita quod, quotiescumque  
Corradus equitare volebat, Manfredus promptus  
et agilis currebat ad scansilem seu streguam, ac  
modis aliis famulatus fratri tanquam praecellenti  
adulari didicerat et blandiri, hac consideratione  
commonitus, quod, cum semper cresceret in  
gratia et amore majorum, potissime illorum de  
regno, cavebat sibi vehementer, ne frater in eum  
manus saevas extenderet, et occulte, vel per fraudem  
vel dolum, aut publice per potentiam mortem  
ejus crudeliter intentaret. Corradus enim,  
non advertens quod in actorem sui consuevit  
fraus conversa plerumque redire, pluries dixerat  
in proposito verba ista: "Princeps iste adeo se  
nobis obsequiosum exhibet, et se adeo reddit  
gratum, sicque nostrae novit voluntati blandiri,  
quod eum nec offendere possumus, nec aliquod  
praesumimus facere sibi malum". Postremo rex  
Corradus in Apulia juxta montes Focarios prope  
Melfiam et Venusium cum infinito exercitu castrametatus  
existens in campis, quatenus terram  
aliquam consideret, dies suos in solatio transcurribat,  
convenientibus ibi cum ipso fere omnibus  
regni baronibus; inter quos Manfredus cum  
pulchra militum comitiva convenit, cui similis  
nulla loco convenerat in eodem. Corradus itaque  
in tentorio suo in campis sub autumnali tempore  
febrili coepit accessione gravari. Et, cum febres  
hujus temporis consueverint esse longaevae, ac aegrotantem  
diu sub invaliditudinis labore tenere frequenter,  
idem Corradus, convalescentiae metas attingens,  
recidivabat regiminis per errorem. Custodiebatur  
exacta diligentia, ne qua manus medicinis  
aut comedibilibus posset opponere aliquid nocivum;  
et, ne sorbile aliquid lurida possent aconita  
foedare, quamplures fuerant rerum praegustatores  
quarumlibet deputati, ita quod per gustum  
non poterat veneno palatus infici nec venter. Verum,  
dum in longum protrahitur aegritudo, nonnulli  
Manfredi complices magis ardebat ipsum

[Page 211]

perviam aliquam toxicare: et, volentes Manfredo  
adulari, fallaciter invicem susurrabant. Et alii in  
tantum demissos susurros comprimebant in vocem,  
quod Manfredus vel audiebat, vel debebat audire.  
"O, ajunt, utinam rex de invasione praesentis infirmitatis  
occumbat. Velit Deus quod nunquam  
de caetero convalescat, sed protinus moriatur.  
Nam Manfredum inungeremus in regem, qui  
est longe dignior, quam Corradus. Iste diligeret  
nobiles, iste remuneraret obsequia. Est enim  
liberalior et humanior tota posteritate caesarea.  
Unde firmiter sua industria et magnanimitate  
totum sibi subigeret orbem terrae". Audiens  
sane Manfredus quae fallax baronum regni  
susurrabat opinio, in necem fraternalm plus  
solito aspirabat. Sicque quidam salernitanus physicus,  
qui erat ad curam Corradi, quem Manfredus  
pluries ad dilectionis suaे gratiam verborum  
humilium blandimentis illexerat, fuit instantissime  
per Manfredum et quosdam suos amatores  
inveteratos diebus malis sub sigillo poenitentiae  
requisitus, ut, cum per gustum Corradus  
venerari non posset, aliam excogitaret fraudis  
viam, per quam idem Corradus omnino mortis  
discrimini traderetur. Salernitanus igitur praedictus,  
ut fertur, tritum adamantem cum pulvere  
dyagridii in aqua clysteris immiscuit, et illa ventrem

sticticum intrinsecus irrigavit. Adamas enim violentissime fertur esse nec sine ponderositatis fortitudine penetrando fortia quaeque frangens. Dyagridium vero, quod alias dicitur Scamonea, resolvit omne quod tangit. Sicque violentia utriusque Corradus praedictus emisit laniata particulariter viscera per secessum, corporis et animae foedere dissoluto. Constituit tamen bajulum in regno pro suo unigenito Corradino quendam marchionem de Alemannia consanguineum uxoris sua; quae, cum esset de stipite Frederici de Stupha, in Alemannia remanserat cum Corradino filium suo nondum pubere. Manfredus vero, cui favebant ut plurimum regniculae comites et Lombardi, attendens quod multitudo nobilium theutonicorum, qui cum Corrado fuerant, adhaerebat bajulo Corradini, cum nonnulli et barones ex hujusmodi multitudine ipsi Corradino tum per paternam, tum per maternam lineam attinerent, qui dabant operam ad conservationem regni, ut in eo posset Corradinus suo tempore dominari, et considerans etiam, quod ut regnaret nondum venerat hora ejus, non est tunc ausus quod conceperat aggredi, et quod desideraverat attentare, sed in odium Theutonicorum excogitavit se beneplacitis apostolicae sedis adeo coaptare, adeo se humiliiter ecclesiae romanae committere gremio, quod enervaret omnino vires consanguineorum nepotis in regno, et eorum potentiam cum favore ipsius [Page 212]

ecclesiae annullaret. Perveniente inter haec rumore de obitu Corradi ad dominum Innocentium, qui, Perusii residens, tanquam infra murorum ambitum circumseptus undique inimicis, cum jam factus in suo statu perplexus quod inde se in fugam accingeret, ubi se numerus hostium brevior ingerebat, statim novi gaudii laetitia nova respersus, versus regnum dietis continuatis accessit, et Anagniae aliquandiu substituit, expectans certos de regniculorum conversione recipere nuntios, per quos sibi regnicolis e vicino jam posito civitates et loca regni signa devotionis et fidei debeant demonstrare. Eo igitur Anagniae cum tota curia sub expectato tranquillitatis tempore respirante. Manfredus, marchio bajulus regni et nonnullae communitates et barones parituri praecisae mandatis summi pontificis cum innumera multitudine accesserunt. Marchio vero in manibus domini papae bajulatui et Corradini tutelae cessit in totum, sed gratiae sedis apostolicae absentem recommendavit infantulum, cum et totam hereditatem suam protectioni romanae ecclesiae supponendo, et rogando suppliciter quod innocens infans non puniatur de avita et paterna malitia, nec de eorum excessibus poenam reportet per eosdem contra ecclesiam perpetratis. Dominus vero Innocentius omnes venientes ad gratiam apostolicae benignitatis brachii apertis admisit, omniumque studebat animos quadam paterna mansuetudine demulcere. Manfredus sane, qui propriis meritis electorum regni consortium videbatur aequare, immo cunctorum mores excellere, omnesque praeire in spiritu et virtute paterna, ante omnia meruit a sententia excommunicationis, qua tenebatur, absolvit. Et, quia omnia facta Caesaris annullarat ecclesia, et successionem damnaverat filiorum, dictus Manfredus absque nova sedis apostolicae concessione non poterat principatum tarentinum licite retinere; unde benignitas ecclesiae, quae devotos et humiles promovere propensius consuevit, non obstante sententia depositionis Frederici et natorum a successione privationis, ratificavit et confirmavit dicto principi

omnem donationem sibi factam per patrem ante suam depositionem praedictam, concessitque sibi honorem montis sancti Angeli, et eum in Apulia capitaneum pro ecclesia sabilivit. Repetit ergo Manfredus Apuliam grandibus ab ecclesiae liberalitate beneficiis honoratus. Qui, licet quantum ad communem opinionem in suscepto capitaneae officio nomen ecclesiae profiteretur, et opere, et verbo se officialem ecclesiae appellaret, nihilominus tamen Apulorum corda, quae mobili semper rotatione vertuntur, ad devotionem et amicitiam suam quantum poterat attrahebat, in amore Sarracenorum de Liceria, qui judicia fidelium ecclesiae mente semper dubia formidabant, potissime se involvens, quorum voluntates in sui nominis devotione roborare toto, non deses studii, laboravit affectu. Hic adeo gratiosus crescebat in oculis Apulorum, quod nonnulli [Page 213]

dicebant, eo audiente frequenter: "Nolumus alium regem, nec alterius dominum, nisi istius principis affectamus. Iste, et nullus aliis, rex proculdubio noster erit. Deus conservet eum pro libertate nostra. Non enim nobis competit clericorum dominium: sufficient ecclesiae romanae spiritualia; principi autem nato imperatoris temporalia libera derelinquat".

CAP. V

Innocentius papa Neapolim petit: eique obviam factus Manfredus, Borrellum de Anglono, veterem suum inimicum, forte sibi occurrentem, dat suis necandum, et Acerras sese recipit. Innocentius vero, cum Neapolim venisset, contendebat ut Manfredus judicio se subjiceret, suique *marescalli* imperio pareret. At ille, dubitans de istius fide, neque ibidem tutum se putans, ad Liceriae Sarracenos confugit, a quibus receptus atque adjutus, quamplures civitates adipiscitur. Interea Innocentius Neapoli moritur, et magis magisque crescit Manfredi audacia. Interea dominus Innocentius quandam de genere suo capitaneum praemittit Neapolim. Ipse vero apud Sanctum Germanum cum curia tota venit, ibique per comites et barones, qui sibi obviam tanquam regni domino occurrebant, reverenter et venerabiliter extitit visitatus. Cum quibusdam baronibus quidam de majoribus ex iis nomine B. de Augione convenerat, qui vivente Corrado de ortu Manfredi ejusque defectu in contumeliosa improperia contumeliose proruperat. Contra hunc sane Manfredus habens animum conturbatum, inimicitiae jaculum, quo eum, opportunitate captata, posset offendere, denuo gestabat occultum. Occurrens ergo Manfredus summo pontifici praelibato, quadam vice prope Sanctum Germanum B. de Augione praedictum inermem habuit obvium, ut volebat, et, opprobriorum non immemor, sed ex eorum memoria cordis dolore tactus intrinsecus, suis illico imperavit armigeris quod in dictum B. irruerent gladiis, eumque ignominiose tractarent. Occubuit ergo Manfredinorum gladiis nobilis memoratus; et Manfredus, judicium formidans ecclesiae in hac parte, fugit Acerras. Dominus vero Innocentius accessit usque Neapolim; ibique fuit ex Manfredi parte diversorum tractatum sollicitatus instantiis, et quod sub certis pactis Manfredum ad sua mandata reciperet requisitus. Sed, quia excessus gravitas magna erat tum ratione occisi, qui erat de primatis regni unus, tum etiam ratione ejus quod in conspectu romani papae fuerat tantum maleficium perpetratum, necnon quia, si facti tam gravis enormitas non sortiretur media justitia poenam suam, magnae turbationis scandalum inter regni maiores, quibus fere omnibus dictus B. consanguinitatis vel affinitatis

linea attinebat, oriri poterat et moveri; dominus  
Innocentius praefatum Manfredum sub  
conditione vel pacto recipere noluit ad mandata,  
sed in hoc semper proposito firmabatur, ut Manfredus[Page 214]

praedictus marescalli sua mandata praecise  
faceret, ac de commisso facinore juri pareret  
omnino. Tractatus et tractus hinc inde fuit eximius.  
Sed Manfredus, iudicium fugiens, noluit  
stare juri. Dubitabat enim se sine pactis marescalli  
papae committere potestati. Cumque Manfredus  
non posset in Terra-Laboris tute propter ecclesiae  
potentiam remanere, animusque suus semper  
ad grandia tenderet, qui nec ad humile flecti  
poterat, nec in humili remanere didicerat, in  
Apuliam sua continuari effugia. Ubi cum nulla  
civitas vellet ipsum contra ecclesiam receptare,  
nec posset etiam tutus in aliqua remanere  
quia sunt imbecillia corda fere omnium Apulorum,  
consulte petiti Sarracenorum tulamina,  
quorum audaciam formidolosa illorum de ducatu  
Apuliae consuevit segnities formidare. Fuit ergo  
per eos in Luceria receptatus, et Frederici veneratus  
ut heres. Cum enim Sarraceni, potissime  
qui sunt in civitate praedicta, imperiales esse  
dicantur, quippe alias de ritus more abhorrent  
ecclesiam, quae consuevit et debet eos exacto  
sollicitudinis studio persecui et omnino delere,  
cogitare merito poterant quod, si regnum, sicut  
credebatur, ad manus ecclesiae pervenisset, vastasset  
eorum in Apulia proculdubio incolatum,  
et eos tanquam proditionis filios dispersisset. Et  
ideo causam nimium exquisite quaerebant, qua  
se qualitercunque possent ab ecclesiae potestate  
subducere, et se, sub alicujus dissimulatae fictionis  
colore, alterius subjicere ditioni. Postquam igitur  
Manfredus contra ecclesiam erecto inobedientiae  
et rebellionis calcaneo se pervertit, et sua cum Sarracenis  
foedera roboravit, nonnulla loca et quamplures  
nobiles apulos ad se convertit aut spontaneos  
aut coactos. Dominus enim Innocentius, qui  
tam contra eundem Manfredum, quam contra receptatores  
et complices ejus, exercitum indixerat  
per contradam, morte praeventus, votum ecclesiae  
adimplere non potuit: sicque, eo mortis  
morsibus apud Neapolim expirante, sedis apostolicae  
propositum expiravit. Dilatat ergo Manfredus  
sicut infernus os suum, et distentat suas per  
Apuliam phylaterias, barones et terras callida  
seductione sollicitat. Volat audax aquila, quae  
nondum aetate plene cooperat adulta pennescere,  
et rapaces ungulas assuefacit ad praedas, suarumque  
alarum robore Apuliam totam concutit,  
quarum jam sentiebat strepitum Principatus.

#### CAP. VI

Rainaldus episcopus Hostiensis, pontifex maximus  
creatus, sub Alexandri IV nomine, legatum in regno  
constituit Octavianum de Ubaldinis, qui, apud  
Fogiam ingenti exercitu collecto, cum a Manfredo,  
minori militum manu stipato, obsessus esset, animadvertisens  
copiarum suarum numerum quotidie  
imminui, declinans proelium, Beneventum versus  
fugam arripuit; ac, a Manfredo assidue vexatus, usque  
Aliphium perrexit.

Sed mira illius potentia, cuius dextera beatum  
Petrum ambularem in fluctibus ne mergeretur[Page 215]

erexit, quae, licet permittat ecclesiam temporalibus  
aliquando turbationibus affici, et ventosis  
quassari plerunque procellis, ejus tamen  
naufragium omnino non patitur, adeo tunc fratrum  
corda cita concordia unoque conciliavit affectu,  
quod, sine magnae morae, praeter morem, dispendio,  
dominum R. ostiensem episcopum, natione  
campanum, oriundum de quodam castro,

quod Genua dicitur, anagninae dioecesis, in  
summum pontificem concorditer assumpserunt.  
Et, ut nova de more nominis impositio sequeretur  
beatitudinis tantae fastigia, ipsum nomen ad  
literam aequaret sua interpretatione praecellentiae  
tantae omen, vocari meruit Alexander. Hic  
namque post assumptionem suam ductus saniori  
consilio, volens anchoram regendae naviculae in  
tutu portus statione locare, et rudentem mandatorum  
suorum ad terram firmam extendere, ut  
per hoc suo et ecclesiae discrimini praecaveret,  
quod propter volubilitatem illorum de regno et  
frequentem variationem votorum poterat in regno  
non immerito formidare, amotis a quibusdam  
officiis Lombardis, et eorum Campanis loco  
praefectis, Anagniam retrocessit. Interea vero  
dominum Octavianum de Ubaldinis Sanctae  
Mariae in Via-lata diaconum cardinalem constituit  
in regno legatum, cui praedicandi contra  
Manfredum et Sarracenos publice verbum crucis  
plena tradidit auctoritate sedis apostolicae  
potestatem. Congregavit ergo dominus Octavianus  
gentes innumeratas, et copiosum exercitum  
apud Fogiam congregavit, cuius major et melior  
pars Thusci dicebantur, qui maxime obtenu-  
cardinalis ejusdem signo crucis assumpto convenerant,  
et stipendiis, etiamque nummis, receptis,  
ut non propriis expendiis in ecclesiae  
romanae servitis militarent. Campani quoque  
cum iis, quos sub ejusdem stipendiis in regnum  
destinaverat dominus Alexander. Cum ergo exercitus  
pomposus ecclesiae in magna bellatorum  
multitudine totam contratam Fogiae complevisset,  
et crederetur omnino quod posset ac  
deberet juxta Luceriam obsidionis validae castra  
firmare, Manfredus, qui omnino gentibus  
inaequalis et viribus impar erat, associatis sibi  
Sarracenis, Theutonicis, et regniculis quibusdam  
suis complicibus, juxta Fogiam posuit se in campis;  
et, discriminis nondum bellorum expertus,  
eos imbellis quodammodo obsidione paucorum  
militum circumdedit, a quibus debebat et poterat  
obsideri. Verum quidam comites et nobiles  
thusci et campani, qui erant agminibus exercitus  
praesidentes, dum attenderent Manfredinos  
viribus et numero pauciores, ardebat inire bellum,  
et cum propinquis hostibus concertare: immo  
extranea inter se furiae concitatione fremebant  
prae nimio affectu conligendi, et pugnam  
attendant cum adversariis manualem. Sed jussu  
cardinalis, qui conflictum animo detestabatur  
et verbo, accensas magnanimitatibus in adversarios  
voluntates prohibentur contra tantam hostium  
audaciam experiri. Demum vero, sine pugna [Page 216]

praevalentibus hostibus sola fortunali praeumptionis  
audacia, quae contra ecclesiasticos  
vigoris cotidie plus habebat, cardinalis praedictus  
sponte vertit terga Manfredo, et, Apulia  
derelicta, usque Beneventum fuga continuata perrexit.  
Manfredus vero insequebatur denuo e vestigio  
fugientes. Sed, eo appropinquante finibus  
Beneventi, cardinalis fugam resumpsit versus  
Aliphium properando. Cum enim arma non sedeant  
humeris clericorum, nec expediebat nec  
tutum erat quod praeferretur in tanto negotio  
cardinalis gentibus bellicosis, et quod praeesset  
exercitu bellatori. Clericus quidem nec se potest  
ad pugnam, nec alios animare, cuius exercitum  
liber est tantum. Et ideo imprudenter capitaniae  
recipit praeedium, et minus provide sibi militia  
regenda committitur. Quod, si quandoque talibus,  
quorum usus spiritualia et iis annexa censemur,  
subjacit regendus exercitus, non est mirum si  
sub eorum magistratu multitudo fiat debilis industriis

animationis vocibus non adjuta, et tanquam  
exanimis et imbecillitate regentis occumbat  
et corrut paucitati. Verum adhuc habet relatio  
plurimorum et quorundam divulgata opinio,  
quod, quando Manfredus romanam curiam  
visitavit, dominus Octavianus propter plura merita,  
quibus Manfredus alios praecellebat, in ejus  
adeo exarsit amorem, quod pro eodem ardua  
studuisset liberaliter exercere. Unde asseritur  
quod, illius amoris instantia, quem in eo conceperat,  
et dilectionis etiam instigatus, quam  
domus cardinalis praedicti ad Fredericum habuerat,  
cui sub gebellinitatis nomine quantum  
poterat adhaerebat, idem cardinalis, statum Manfredi  
affectans ad sublime transcendere, sibi cessit  
in regno, et cum potuisset proculdubio feliciter  
habuisse triumphum, si congregationem  
tantam fidelium cum gente Manfredi permisisset  
pariter commisceri, regnum demum et fines regni  
Manfredo spontanea liberalitate dimisit, rediitque  
in Campaniam quasi victus. Manfredus  
sane, ut de ejus generositate, quae per superiora  
patet, jam calamus conquiescat, fuit in sui statu  
benignus, cuius forma decora cum benignum  
necessario demonstrabat. Fuit etiam virtuosus:  
nam moribus et scientia decorare studuit animum  
antequam eum regni cupido perverteret ac  
orbaret. Fuitque magnanimus: quod evidenter  
apparet ex eo quod tantum negotium est aggressus.  
Nec minus se familiaribus exhibuit gratiosum,  
qui gratiarum erat in se dotibus circumfultus.  
Unde, tot personae sua meritis propensatis,  
ut fertur, dominus Octavianus, volens ardua  
praesumere pro eodem, causam dedit propter  
quam, exercitu ecclesiae cedente Manfredo, Manfredus  
ipse totius regni dominus remaneret. Sed,  
ut cedat opinio veritati, sanius est credere quod  
idem cardinalis, potius ex sui exercitus debilitate  
diffisus, attendens suorum armatorum numero  
semper detrahi, exercitum vero Manfredi continue  
adaugeri, dimisso regno, cum incolumitate  
suorum cesserit Manfredinis, quam simulata[Page 217]

fuga, ut Manfredi conditionem erigeret, regno  
abscresserit fraudulenter. Iniquum est enim  
quod aliena vi constat impositum trahere ad delictum,  
et quod homini vitio deputetur quod ejus  
voluntate non regitur, ac illud periclitanti quis  
imputet unde evadere raro detur.

#### CAP. VII

Manfredus, fortuna favente, tutorem se simulans nepotis  
sui Corradini, totius regni potitur. Exorto deinde  
dedita opera rumore Corradinum in Germania  
mortuum esse, necatisque duobus legatis, qui  
pontificem, verbis ipsius, regni possessionem petitum  
adierant, Panormi rex Siciliae inungitur atque  
coronatur.

Manfredus igitur ex tam amicae prosperitatis  
arrisu, affluentibus undique commodis, laetabatur.  
Sed, cum ejus tanta prosperitas recens esset,  
nec haberet, Corradino superstitie, colorem aliquem,  
sub cuius saltem fictitio tegumento assumptum  
ad dominandum toti regno animum occultaret,  
se tutorem nepotis sui Corradini esse confixit,  
et hereditatis suaee legitimum protectorem.

Praetendens igitur sibi, quo nullus de genere paterno  
supererat propinquus Corradino, hujus tutelae  
curam inesse, ac protectionis ejusdem onera  
suis scapulis imminere, Siciliam et Calabriam,  
regnumque totum, cuius incolas ut cogitationes  
conceptas .... explicaret, quando posset  
semper agitat motu arundineo mobilitas naturalis,  
sub alarum suarum invalescenti jugiter principatu  
sine dispendio bellicoso et absque sumptuoso  
labore conclusit. Nondum enim dolum, quem

sub tenebrosis fraudibus gestabat interius, et quem  
studebat provide tegere sub coloratae imagine speciei,  
simulata pietas propalarat; sed, mentita  
Corradini protectione tutoria universa deludens,  
ut regnicalorum corda fragilia concitaret ad desideria  
promissorum libertatis et munerum, indesinenter  
praemia promittebat. Verum, totius jam  
difficultatis in regno cacumine deplanato, sumpta  
inhumaniter audacia malignandi, non servavit  
postmodum congruentiam nec modum, sed  
totam regni nobilitatem tyrannide furibunda depressit.  
Et, dum in eo temperantia mediatrix  
denuo prophanam carnis suspicabatur offensam,  
nec ejus delectationes illicitas, nec voluptates fervidas  
potuit refraenare, nec moderata dominatio  
adversus libidinem alios non rectos impetus  
animi compescere potuit nec motus ejus. Namque,  
invalescente saevitia, sanguinis atrocitas et  
libidinis incentivum jam eidem adimere cooperant  
quicquid studiosus virtutibus compararat,  
et, a se ipso priore vita et moribus diffidens, virumque  
mutatus in alterum, universos regni magnates,  
in quorum animis ecclesiastica fervore devotio  
credebatur, aut perpetuo relegavit exilio,  
aut horribilibus mortis poenis, tum per insidias  
clandestinas maceravit, tum aliis saevis et apertis  
debacchationibus interemit. Sed nec pepercit[Page 218]

illis, qui, erga factum infantis zelo pietatis accensi,  
et eum in Alemannia feliciter vivere, ipsumque  
regni fore legitimum successorem quoque modo  
praetendere videbantur. Hos enim non solum  
infra regni fines, sed etiam ubicunque usque persequi  
ad fata exitialia nitus fuit. Nam comitem  
Petrum de Calabria, virum olim in curia Corradi  
et Frederici etiam praepotentem, qui Corradini  
aliquandiu cooperat administrari tutelam, apud  
terracinensem civitatem exilio profugum, per  
quendam Petrum de Castellionata civem salernitanum,  
domicellum et familiarem ejusdem comitis,  
procuravit interfici, et fratrem ipsius comitis,  
Jordanum Rubeum nomine, oculorum amissione  
confecit. Civem vero praedictum confugientem  
ad eum, nece sui domini tam crudeliter  
perpetrata, militiae cingulo decoravit. Deinde per  
totum regnum mandavit edictum generale proponi  
quod nullus Corradinum de cetero nominaret,  
sed Manfredum ipsum omnes regni praedicarent  
heredem et hereditatis paternae pariter successorem;  
et qui contra faceret esset sibi merito proditio  
suspectus, et ut suus proditor puniretur.  
Sicque frequenter fecit literas in personis aliquorum  
nobilium de Alemannia fabricari, quarum  
simulata relatio praeteritum proxime obitum  
mentiebatur infantis: quas literas tanquam certissima  
nuntiantes faciebat denuo in civitatibus  
divulgari. Cum autem erronea regnicalorum credulitas  
fictam mortem Corradini supponeret esse  
veram, totamque regni nobilitatem saeva tyrannidis  
astutia momordisset, immo diris excidiorum  
faucibus sorbusisset comitatus, baronias,  
et feuda exulum et occisorum, Lombardis quampluribus,  
quorum quosdam extrema paupertas  
devehebat in regnum, nonnullos vero proscriptos  
a propriis partialis dissentio impellebat, liberaliter  
distribuit et dispersit. Sed non mansit propterea  
ejus justitia in aeternum. Advocavit etiam  
hujus largificae dispersionis in sortem quosdam  
de Sicilia de domo illorum de Malecta; et alias  
quamplures de regno, quos nova devotio, vel actus  
pestifer et nefandus, sibi gratos et familiares effecerat,  
ab ejusdem liberalitatis participio non exclusit.  
Verum Lombardi, praecipue sub consanguinitatis  
et affinitatis imagine, ultronei ad Manfredum,  
elationis assumptae fastigio gloriantem, in

paupertatis habitu confluabant. Sed, dum civitates et loca Thusciae et Lombardiae, quae Frederico et Corrado jam mortuis viribus tepecebant, et quas felix fortuna Manfredi sola fama calefecerat, a remotis per nuntios et literas ipsi Manfredo signa fidelitatis et devotionis offerrent, et contra viciniam inimicam ab eo militum subsidia flagitarent; Manfredus ipse non ad subveniendum exteris, nec ad offendendum loca extra regnum intendere voluit, sed curiose coepit de coronatione sua indefessae sollicitudinis studio cogitare. Haec enim erat curarum cura, quae ferventer suo pectori inhaerebat, et arduo cogitatu fluctuantem in successionibus placidis spiritum coartabat.[Page 219]

Interea vero domino Alexandro Anagniae commorante, cum jam per universa mundi climata firmiter crederetur quod Manfredi felicitas odiosa nimium facta esset ecclesiae ac infesta, ex parte Corradini agentis sub annis in Alemannia pubertatis, duo nobiles alemanni, quorum unus croccus, alter Bonscianus vocabatur, ad ejusdem domini Alexandri praesentiam imploraturi pro Corradino veniam hereditatis avitae mittuntur. Ecclesia namque tunc, pro eo quod Manfredus eidem plurimum reddiderat se ingratum, et, ejus beneficia minime recognoscens, eam privignali odio cooperat lacescere, regnum Siciliae fideli cuiquam potenti pro ipsius Manfredi extermilio concessisset. Sane de fine praedictorum Crocci et Bonsciani libenter ulteriora non dicerem, ne forsitan patrum crimen detegam, quod deceret mente silentiosa, currente ad reliqua calamo, pertransire. Sed ordo accurrentium rerum instat ut labia parata sermonibus, quae subsequentium series cupit esse rectiloqua, concivium notoria scelera veridica locutione depingant, ne forte, major vero volans ad longinquos, ut plurimum infamia referatur. Erat igitur Romae quidam nobilis de domo Surdorum, nomine Raulus. Hic profecto more romano magnanimus et strenuus putabatur. Sed, cum jam fere sibi tota proprietatis substantia defecisset, eam aliena sequi necessario oportebat. Plus enim praeter romanum morem in suis voluptatibus expendebat, quam possent bonorum suorum redditus sustinere. Fuerat quippe sub multa lubricae delectationis libertate nutritus, et ex eo maxime quod nepos erat domini Richardi de Aniballis Sancti Angeli diaconi cardinalis, cuius industria pene in Urbe sibi vendicaverat inter omnes nobiles primati. Luxuriabat excessibus, et ex avunculi potentia sumpto vigore vitam agebat protinus dissolutam. Hunc autem Manfredus, qui eum audierat fore praesumptuosum pariter et audacem, postquam multos de Urbe nobiles pro interficiendis dictis nuntiis Corradini ad ampla praemia invitarat, excitavit contra eosdem nuntios, pollicitatione solemini magna munera offerendo. Memoratis ergo nuntiis versus Anagniam ad dominum Alexandrum prosequentibus iter suum, praelibatas Raulus inter castrum Molariae, et Silvam Algiari, quorum tenementa et districtus dicti domini Richardi, et nullius alterius, existebant, eosdem nuntios invasione subita intercepit inermes, quibus alias Romae spoonderat liberaliter auxilium personale. Croccus ergo improviso Rauli gladio periit, et Bonscianus fuit lethaliter vulneratus. Sicque factum Corradini cum ecclesia nuntiorum impedimento suspensum, deficientibus tractatoribus et internuntiis, ulterius non processit. Raulus adhuc maleficus, qui sub tempore pacis dictis nobilibus alemannis cladem tantae crudelitatis intulerat, ad recipiendum pretium

ejus quod sub suorum egerat audenter obedientia  
mandatorum, comitatum tradidit catacensem.  
Sed nec ipsum, nec alios, quos ad comitatuum  
excellentiam evocaverat, potuit per  
vexillum, ut moris est, de ipsis comitatibus investire,  
cum nondum unctionem et coronam recepisset.  
Indicit ergo diem coronationis suaे,  
quam apud civitatem panormitanam, regum Siciliae  
sequens vestigia, promulgaverat celebrandam.  
Ad cuius tantae celebritatis honorem non  
solum nobiles, sed archiepiscopos, et episcopos  
aliosque praelatos, et viros famosos e regno, jussit  
die ac loco praefixis absque ullo excusationis  
suffugio congregari. Demum, adveniente die coronationis  
indictae, magnates omnes apud Panormum  
cum Manfredo unanimes convenerunt.  
Sed de praelatis quidam prompte, minus tamen  
provide, ad coronationem praedictam maturis  
gressibus properarunt; alii, praetensa excusationis  
causa, in propriis ecclesiis substiterunt. Nonnulli  
vero iter veniendi Panormum continuaverunt  
usque Messanam, qui aut lente aut pedetentim  
pergebant, ut fieret coronatio sine eis, aut in  
aliquo loco de Sicilia, confingentes se fatigatos  
in itinere ac defectos, quae sita requie remanebant.  
Aliqui vero in die coronationis hujusmodi  
simulabant Panormi alicujus mole discrasiae se  
gravatos, ut saltem missam coronationis et horam  
unctionis regiae evitarent. Ac quilibet praelatus  
regni, secundum quod magis minusve conscientiosus  
erat et devotus ecclesiae, se solemnitatis  
illius obsequiis remissius aut promptius ingerebat.  
In ecclesia tandem panormitana, quam  
regum Siciliae porphyrea et anabastrica monumenta  
materia et arte pretiosa decorant, in regem  
Siciliae per quosdam praesules Manfredus  
inungitur, et per regni barones assistentes praelatis  
regali diademate coronatur. In testimonium  
autem unctionis et coronationis hujusmodi  
jussit chirographum confici rethorico stilo contextum  
sub sigillis et subscriptionibus praesulum  
et baronum, qui solemnitatis illius festiva gaudia  
fuerant comitati.

EXPLICIT LIBER PRIMUS[Page 221]

Incipit liber secundus  
Caput primum  
Manfredus rex, Apuliam repetens, barones et nobiles  
regni generali concilio apud Fogiam cogit, multos  
gradibus atque honoribus cumulat, et quamplurima  
publicam utilitatem spectantia decernit.  
Haec dies festi ludique consequuntur. Postea, maximo  
exercitu conscripto, adversus Aquilam, quae desciverat,  
procedit, eamque diruit ac igne comburit.  
Exercitu denique dimisso, in Apuliam revertit.  
Dignitatis regiae celebriter honore suscepto,  
novus rex partes Apuliae feliciter repetit. Et, cum  
ubique per regnum seditio tumultuosa quiesceret,  
et spes jam probabilis quietis gratae delicias propinaret,  
generale colloquium baronum celebravit,  
multis ibi per eum decoratis honore militiae,  
et nonnullis per investituram vexilli ad comitatus  
excellentiam sublevatis. Post haec solemnem  
curiam apud Fogiam, universis citra portum Rosseti  
nobilibus et locorum nuntiis convocatis, indixit;  
ubi, ad honoris regii clarificanda fastigia,  
tam de conservatione justitiae, quam de aliis publici  
boni compendiis, statutis utilibus publicatis,  
de diversis partibus diversorum generum gaudia  
festiva convenient, ludentium choros et agmina  
distinctio purpurata laetificat. Quamplures ibi  
regenerantur honore militiae, nonnulli magnificantur

excellentium fascibus dignitatum: dies totus  
solemniter agitur; et post diei cursum flammicis  
facibus hinc inde lucentibus, ponderosa cerea  
coacervata compagine, in agone ludentium convertitur  
nox in diem. Ne autem quietis et pacis  
longis laboribus quae sita compendia occasio potentatus  
exterioris infringere, rex Manfredus,  
curas exercituales aggrediens, cum magnifico et  
praepotenti exercitu versus regni confinia consilio  
deliberato procedit. Erat in extremis regni  
partibus olim rege Corrado favente civitas Aquilae  
in odium baronum de illa contrata per ipsorum  
villanos de novo constructa, in qua de diversis  
castrorum circumadjacentium incolis, non  
absque quamplurimum ex provincialium jactura  
nobilium, et praedictorum baronum, rusticorum  
adunata congeries in tantam iam multitudinem  
populosa concreverat, quod, de suarum virium temeritate  
superbiens, se vicinis exhibebat horribilem,  
et dominantis in regno dominio suis operibus  
indevotam; quin potius velut pars universo  
non congruens, generalibus regni statutis reputabat  
indecens colla submittere, et singulares sibi  
vivendi formulas confidere praesumebat. Sperabat  
enim in praesumptae libertatis statu contra  
eorum dominos apostolicae sedis auxilio confoveri.  
Et ideo contra Manfredum, etiam post  
suae coronationis tempora, pertinax in rebellione  
jam facta, sub velamine devotionis ecclesiae [Page 222]

regi parere pertinaciter contemnebat. Ad rusticorum,  
inquam, domandam proterviam, et per  
haec restituenda laesis quampluribus jura sua,  
Manfredus victoriosus accingitur. Sed, antequam  
civitatis moenibus ejus se vicinaret exercitus, tanquam  
populorum difformibus erecta particulis maceria  
ruinosa dispergitur, et, dum volare super  
vicinos nititur aquila, plumis nudata solo deprimitur;  
universis habitatoribus, quibus tutelae  
veniam in personis et rebus clementia regalis indulxit,  
subito vacuata deseritur; et quae dudum  
plena populo stare nescierat, in combustionem  
et cibum ignis illico tradita sola sedet. Ea sic  
itaque redacta in nihilum, rex Manfredus in Apuliam  
exercitu dissoluto revertitur, ut membra  
bellicis fatigata laboribus quietis gratae dulcedine,  
placidisque solatiis restauraret.

Cap. II

Manfredus, majora semper appetens, ad Italiae principatum  
animum convertit; atque, postulantibus  
gebellinis earum regionum, in Lombardiam Ubertum  
marchionem Palavicinum, in Thusciam Jordanum  
de Anglano, Percivallum de Oria in Marchiam  
mittit. Hos omnes suos vicarios illis regionibus  
praeficit, singulis magna equitum manu assignata:  
qui, summum nacti imperium, gloriam atque  
regis opes magnopere adaugent.

Interea regis Manfredi animum, imperialis  
sanguinis fastigiis conjunctum, et a primis naturae  
vestibulis assuefactum desiderare magnalia, de  
remotis partibus honoris et gloriae cupido sollicitat,  
aut semper plus appetens noxius appetitus,  
quo humana quies atteritur, et bonum libertatis  
pulcherrimae sugillatur, inducit eum ut plura cupiat,  
quo plus habet. Nam, cum posset ejus affectionibus  
tam nobilis regni blandiri possessio, et  
copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad  
curas negotiorum Italiae, ubi quondam dignitatis  
paternae praefulsit auctoritas, mentis sua  
dirigit intellectum. Qui utinam terras ecclesiae  
non vexasset. Extendit enim potentiae suae robur  
ad Ligures, fimbrias dilatat ad Thuscos, et  
vicinitate suarum virium miserabiles concutit  
Marchianos. Per universas namque provincias  
de antiqua et erronea consuetudine a temporibus

Frederici votis hominum divisis in partes, remanserat  
in Liguria Ubertus marchio Palavicinus,  
vir utique prudens et nobilis, quamquam gebellinus  
et partis ecclesiae persecutor. Qui, propter  
fidem imperiale, et sua servitia Caesari quondam  
impensa, de Frederici munificentia beneficia  
multa receperat, et Augusti, quoad vixit, ac  
posteriorum suorum honorem, promta cordis affectione  
zelabat. Remanserat etiam in Thuscia pars  
gebellinorum, et civitas senensis praecipue, quae,[Page 223]

cum tempore senescens gebellinitatis in fide, semper  
erga imperatorem et haeredes suos in servitiis  
innumeris et devota manebat, ac e contrario sedi  
apostolicae indevota. Erat quoque in Marchia Anconitana  
partium obstinata dissentio, quae, dum  
haec unum, illa vero aliud appetunt, inter se  
rediviva semper altercatione concertant. Ab istarum  
itaque regionum partibus tam ob fidem imperii,  
quam erga Fredericum habuisse praetendunt,  
tam ad ultionem injuriarum, quam de suorum  
hostium depressione concipiunt, rex Manfredus  
instanter requiritur. Offertur sibi per nuntios  
eorum antiqua devotione, et vires auxiliares  
ipsius ad regionum earumdem regimina postulantur.  
Favet iis inter diversa consilia regis affectus,  
ut successorem se paternae dilectionis exhibeat,  
et, ne oblatae sibi Victoriae gloriam negligenter  
abnuere videatur, ad provincias ipsas vires  
suas porrigit in suorum subsidia devotorum. Habita  
itaque deliberatione consilii, praedictam  
marchionem Palavicinum in Lombardia capitaneum  
et magistrum gebbellinorum statuit; Jordanum  
de Anglano consanguineum suum, cui comitatum  
Sancti Severini concesserat, exulante  
Rogerio comite comitatus ejusdem, transmisit in  
Thusciam; Percivallum de Oria, affinem et familiarem  
suum, in Marchiam, generales loco sui vicarios  
destinavit, deputata eorum cuilibet equitum  
quantitate non modica, quibus stipendia menstrua  
providit assidue de aerarii sui sumptibus  
eroganda. Sub horumque vicariorum manibus et  
arduis praefecturis coepit continue regis honor  
augeri, et ecclesiae injuria crescere, ac guelphorum  
depresso augmentari. Crescebat etiam  
favor gebbellinorum et regis ejusdem, et rumores  
prosperi successive de singulis cor regis exhilarant,  
et potentiae sua vires illustrant. In Marchia  
namque cum sola civitas camerinensis aliquandiu  
dicto Princivallo parere pertinaciter recusasset,  
ac per districtum suum, quem collum  
et montium inaccessibilium, quoad equites praerupta  
convallant, Theutonicorum et Sarracenorum  
agmina frequenter currentia per contratam  
graviter offendisset, tandem, assumto in potestatem  
quodam nobili de camerinensi districtu, nomine  
Raynero Hugolini, qui a popularibus civitatis  
ejusdem dispendiose aliquando fuerat provocatus,  
Percivallum praedictum cum tota ejus  
militia civitas ipsa recepit. Verum incolae, qui  
et Percivallum et nobiles vicinos offensis innumeris  
non expaverant lacessere, illico post Theutonicorum  
ingressum plurimum expavescere, forsitan  
merito, incooperunt. Et, dum vicarius regis  
praedictus quosdam archipopulares et protorusticos  
ad se vocari fecisset, qui tam deformis populi  
ductores et capita dicebantur, modo ille, modo  
alius, secundum quod credebat se quis magis  
dictum vicarium et vicinos nobiles offendisse, interdum  
omnes subita fuga succincti, velut examen  
apum, quod valido vento dispergitur, civitate  
relicta, per diversa convallium loca et montium  
cacumina disperguntur. Hanc itaque civitatem,[Page 224]

quam solam populus suus sponte dimiserat,

dictus Percivallus redegit protinus in ruinam.  
In Lombardia quoque, sub marchione praedicto  
magnificentiae regiae viribus ampliatis, sic  
ejus arrisit prospera fortuna successibus, quod  
in eodem quoque loco, ubi olim parmensis audacia  
imperialia castra combusserat, ignominiosae  
cladis exitia amissione carroci, et expugnationis  
validae pertulit detrimenta. Sicque vindicata  
viriliter iniuria patris a filio, locus ille, qui  
nominatus nominatione Victoriae visus fuerat,  
imperatori illusisse, grandem regi praedicto de  
hostibus gloriam victoriae reservavit. Civitates  
etiam Cremonae, Papiae, Placentiae, Brixiae,  
et plures aliae, sibi reverenter obedient, et nomen  
ejus ultra quam credi posset triumphabiliter exaltatur.

Cap.

III

Azolini de Romangia obitus.  
Sub ejus quoque felicitate fortunae cecidit pestifer  
ille tyrannus Azolinus de Romangia, quolibet  
severo crudelior; cuius impietatis rigidae,  
severitatis horridae, et vindictae inexorabilis acta  
describere longum per se tempus exigerent, magnique  
complexu voluminis indigerent. Sed primo  
necessarium videretur pectus armare duritia,  
quam rebus tam asperis, tam nefandis, tam tristibus  
apponere calatum, vel auditorum animos  
appicare. Hic siquidem ab imperatore Frederico  
ditatus et promotus in altum, cuius nutibus tota  
fere Tarvisina Marchia serviebat, post infinita  
et inusitata poenarum genera, quorum narrari  
potest a posteris nefandae crudelitatis exemplum,  
jam regi Manfredo devotionis solitae signa  
non exhibens, dum, collectis undique viribus, contra  
Mediolanenses infestis auguriis processisset,  
prope castrum Cassani, in manibus Cremonensium,  
qui sub praesidiatu marchionis praedicti in  
auxilium Mediolanensium potenter exierant, prope  
flumen Adae miserabiliter incidit, ubi lethaliter  
vulneratus, ductusque Soncinum, morti succumbuit  
qui raptor fuerat vitae meliorum.

Cap. IV

Florentini, ad Senas obsidendas profecti, quum usque  
ad civitatis moenia regionem vastassent, exercitu  
dimisso, recesserunt. Sed postea, receptis novis  
auxiliis, cum, castri Montis-Alcini majori praesidio  
firmandi causa, Senensium agros processissent,  
Jordanus comes, eos adortus, fundit fugatque.  
Beatrice interim diem supremum obeunte,  
Manfredus Vatazi, hominis in Grecia nobilis, filiam  
uxorem ducit.

Eodem quoque tempore civitas florentina cum  
parte guelforum, non minus vitiis, quam delitiis[Page 225]

affluens, sic superstitione jam cooperat, tam multitudine  
populi, quam superbiae vento plena, consurgere,  
quod, de suarum virium temeritate lasciviens,  
et de elati spiritus superfluitate confidens,  
deditabatur parificare se aliis, quae suppeditare  
sibi vicinos multipliciter satagebat; ac  
in tantam jam venerat arrogantiae inflaturam,  
quod aliquando cogitare non metuit usque ad Romanos  
sui alas extendere potentatus. Hujusmodi  
itaque temeritas actibus fastuosis incumbens, nec  
futuros eventus debita circumspectione praemeditans,  
suis omnibus fautorum suorum et complicum  
viribus congregatis, ad obsidionem civitatis  
senensis, commorante ibi memorato Jordano comite  
cum stipendiariis regiis, viriliter attentavit  
accedere; factaque ibi mora, quam voluit, et usque  
ad civitatis ejusdem moenia depopulatione peracta,  
exercitu dissoluto recessit. Cumque post modicum  
temporis Florentinorum ipsorum audacia  
cum Lucensibus, Placentinis, Pistoriensibus, et  
aliis complicibus suis de Thuscia, quos in contumaciam

suam non minus coactos, quam spontaneos  
atrahebant, cum exercitu numeroso, qui  
armatorum triginta milia continebat, ad muniendum  
castrum Montis-Alcini victualibus, et  
aliis opportunis, quod Florentini praedicti tunc  
in eorum potestate tenebant, per territorium Senarum  
prope civitatem eamdem ad duo fere millaria  
superbe procederent, qui per aliam tutiorem  
viam illuc indemnes accedere potuissent, contigit  
quod dictus Jordanus comes cum Theutonicis  
secum morantibus, et senensibus populis  
cum parte gebellinorum, sub felicibus regis auspiciis  
in Florentinos eosdem et fautores eorum  
viriliter irruentes, ipsos commissis hinc inde conflictibus  
expugnarunt. In cujus expugnationis eventu  
sic Florentinorum potentia deflorata commarcuit,  
quod ex eis eorumque complicibus, praeter  
occisos gladio, quod non fuit numerus praefinitus,  
captivorum solummodo, quos senensis  
carcer astrinxit, quindecim millia et ultra numero  
computantur. Versi sunt, inquam, subito  
dies solemnitatis ejus in luctum, sallia in opprobrium,  
honores in nihilum, ita quod eorum superstitione  
deposita, qui dum in honore essent  
non intellexerunt, jam sumentes a vexationis jaculis  
intellectum, regis Manfredi mandata devote  
suscipiunt. Igitur, regina Beatrice naturae debitum  
persolvente, rex, cum Vatazo viro in Graecia  
magnifico et illustri habens de parentela tractatum,  
tandem M. filiam ejusdem Vatazi, puellam  
jam nubilem, in annis tamen juvenilibus illustrem  
et prudentem, suis nuptiis adoptavit, ex  
qua postmodum filios suscepit et filias, ex quibus  
nonnisi una filia supervixit.[Page 226]

#### Cap. V

Alexandro IV mortuo, Urbanus IV papa succedit.  
Manfredus Fredericum Malecta in Siciliam capitaneum  
mittit, qui, dum Montem Trapani obsessum  
procedit, fraude interimitur. At Fredericus  
Lancea, capitaneus in Sicilia suffectus, ipsius necem  
ulciscitur, et castrum illud diruit ac funditus  
evertit.  
Medio autem tempore, papali curia morante  
Viterbii, ibique Alexandro IV summo pontifice  
viam universae carnis ingresso, dum collegium  
cardinalium, in quibus, velut in montibus sanctis,  
ecclesiae fundamenta sunt posita, habere  
inciperet de pastoris substitutione tractatum, et,  
inter eos vertiginis spiritu et invidiae livore suffuso,  
non possent in aliquem de gremio convenire,  
contigit quod hierosolymitanus patriarcha,  
natione burgundus, qui tunc ad curiam ipsam  
pro ecclesiae suae negotiis promovendis accesserat,  
concorditer est ad apicem apostolicae dignitatis  
assumptus. Sic itaque factus de petitore concessor,  
de subdito dominus, de filio pater patrum,  
Urbanus IV meruit nominari. Cumque post haec  
viderentur jam omnia regni negotia sic firmiter  
sic tute disposita, ut ex nullo videretur angulo  
dubitandum, rex Manfredus deliberato consilio  
Fredericum Malecta, comitem Bizani, consanguineum  
suum, cum quadam quantitate Theutonicorum,  
ad gubernandam Siciliam capitaneum  
destinavit. Qui, dum in partibus illis contingentia  
quaelibet prudenter et caute disponeret, dum  
se versus montem Trapani, de cuius habitatoribus  
aliquid forte contrarium fama referente praesenserat,  
se cum sua familia vicinaret, ac moraretur  
in campis; accidit quod, descendantibus  
ad eumdem comitem decem viris ex incolis dictae  
terrae, qui pro parte totius universitatis verba  
devotionis offerent, cum ex longa, sed vitiosa  
potius consuetudine, nullius officialis ad montem  
incolae libenter paterentur ascensum, dum

comes ipse familiaris inimicitiae, qua nulla pestis  
occurrit proclivior ad nocendum, praecavere  
non posset insidias; quidam insolens juvenis,  
nomine Goblus, natione theutonicus, qui marchionis  
Bertholdi familiaris et intimus quondam  
fuerat, quem etiam dictus comes comestabulum  
Theutonicorum ex confidentia multa praefecerat,  
et in familiarium negotiorum consortium admittebat,  
nacta tunc forsitan occasione, qua posset  
praeconceptum malitiae suaे votum in actum  
producere, proditoria temeritate tentatus, cum  
quibusdam sequacibus suis in eundem comitem,  
sub tentorii velo jacentem, inopinatus insiliit, ipsumque  
temerarius interemis. De cuius obitu  
cum rumor veniret in publicum, homicida praedictus  
et complices ejus ad montis ejusdem excelsa  
una cum praedictis nuncis confugerunt, frustra  
credentes inter eos commissi facinoris invenire  
tutelam. Sicque, montis ejusdem habitatoribus  
in suaे rebellionis malignitate detectis, ne  
scelus hujusmodi remaneret inultum, et montis[Page 227]

perversitas in sua ulterius obstinatione persisteret,  
Fredericus Lancea, comes Squillacii, qui insolentias  
regionis ejusdem ab experto calcare  
praenoverat, de beneplacito regis Manfredi capitaneus  
in Sicilia subrogatur. Qui, sub fortuna  
regia viribus instauratis, perurgens obsidionis  
instantia superbiam montis ejusdem, per extremae  
desolationis et exhabitationis excidium potenter  
edomuit, et ejusdem facinoris patratores  
cruenti supplicii, qua digne meruerant, caede  
confecit. De cuius minutis incolis iussit rex construi  
civitatem novam, quae vocatur Regalis, prope  
Bonreparium, in loco videlicet, ubi veteris civitatis  
Apollinis vestigia subsistebant.

#### Cap. VI

Johannes de Coclaria, pauper et infimae sortis homo,  
ostiatim victimum quaeritando, mortuo Frederico  
imperatori quum se valde similem putari audivisset,  
occasione arrepta, Siciliam graviter conturbat.

At Richardus Philangerius, ad regendam insulam  
Galvano suffectus, cum in potestate illum  
habuisset, senem nec non ejus conscos morte afficit.  
Manfredus, ut omnino sedaret tumultus, Siciliam  
petit. Ibi omnium laetitia exceptus, quamplurima  
accipit dona. Deinceps, Apuliam reversus, in  
toto regno pace composita, filiam suam Constantiam  
Petro regis Aragoniae filio dat nuptum.

Jam tota Sicilia in pacis reformatione disposita,  
et Frederico praedicto domesticis restituto  
solatiis, Richardus Filangerius, comes Marsici,  
ad ejusmodi regimen deliberatione provida destinatur.

Dum autem Richardus idem officii sui partes  
impleret, et rex Manfredus in Apulia feliciter  
ageret, credens sic omnia in regno disposita,  
ut ex nulla timeri posset parte turbatio, novus  
et inopinatus in Siciliae partibus ignaviae morbus  
invaluit, et erroris mirabilis stupor irrepit.

Dum enim quidam pauper, Johannes de Coclaria  
nomine, infimae conditionis, et abjectae fortunae  
mole depressus ac inopiae squallore, mendicus  
per civitates et loca cotidianum sibi victimum  
ostiatim quaerendo discurreret, ex concordibus  
forsitan vultus et aetatis indiciis, per quae fallax  
opinio in uno eodemque subjecto diversas plerumque  
formas similitudinis conformitate mentitur,  
audivit pauper ab aliquibus obviis, qui eleemosynarum  
sibi suffragia porrigebant, imperatori  
praemortuo se fore consimilem. Cumque  
videret in opinantium ore verba crebrescere, mutavit  
repente mendicus animum, et, quaesitus eatenus  
super iis, responsa negativa dissimulabat,  
quatenus verisimilia faciat quae dicuntur. Oritur  
ex ejus negatione suspicio, et, cum nitatur

hominis appetitus in vetitum, eo magis insurgebat  
de ipsius ambiguitate credulitas, quo major  
inficiencia tradebatur. jam rumor de verbo in verbum  
mutua confabulatione dispergitur. Discedit  
pauper a frequentia hominum, barbam  
nutrit; et, ut concepta liberius valeat fabricare[Page 228]

mendacia, loca petit vicina silvestria, firmat in  
monte Gibellio, qui alias Aethna dicitur, dolose  
latibulum, et imperiales sibi mores et verba, quae  
veritas et natura non dabant, adultera fictione  
componit. Jam falsus per Siciliam rumor increbuit.  
Visitatur pauper in tenebris, honoratur plus  
solito, et rerum victualium, quarum pressus prius  
inopia fuerat, copiosa per aliquos opportunitate  
fulcitur. Adhuc plures exules, quos perfidiae aut  
invidiae macula de naturalibus terris vicinis ejecerat,  
et in nemoribus latitabant, praecipue Bartolomaeus  
de Mileto, et fratres nepotes quondam  
veteris Petri de Calabria comitis apud Tarracenam  
peremti, ad simulacrum, auditio rumore, concurrunt,  
falsitatis causas explorant, quaesitas  
inveniunt, et, velut qui, fluminis impetu prolabentes,  
apprehensa jam stipula, turgidas credunt undas  
evadere, adhaeserunt exiles monstro mendacii,  
et quas solus forte formare non poterat, jam  
plures falsi sibi additi fomites robort fictions.  
Ecce jam plenum falsitate portentum,  
imperatorem intitulant, colunt ut praesidem, reverentur  
ut dominum. Et, ut securiora dent incrementa  
principiis, excelsum montem Conturbii,  
quem olim exhibitari fecerat imperator, pro  
tutiori statione condescendunt; per quos imperiali  
sigillo vitiose conflato, sub consueto titulo Caesaris  
literas per diversas partes imperator phantasticus  
subdola formatione conscribit. Et, ut facilius  
audientium animos novae fraudis ad inventione  
corrumperet, indicat se olim habitu simulato  
ac divinae permissionis oraculo ad expianda  
delicta nonum annum in peregrinationis exercitio  
peregisse. Sicque plures regni civitates et  
nobiles de fidelitate sollicitat, et sub isto colore  
requirere non formidat. Hoc quippe fraudis et erroris  
involucro multa confinia loca Siciliae callida  
machinatione corrupta, necnon et remota  
etiam, nisi necessarium praevenisset antidotum,  
surrepens morbus occiduus infecisset, cum essent  
quamplures, quos ad credendum simplicitas incauta  
conduceret, et nonnulli, quos, si super hoc  
scientia certa non falleret, simulant se tamen  
nescire quod noverant, ad aliorum sequelam violata  
jam mentis contra regem Manfredum invidia  
trahebantur. Cumque super hoc regis ejusdem aures  
relatio inopinata perstreperet, et ad longinquas  
quoque provincias figmenti hujus novitas pervenisset,  
ad subvertendum idolum et cultores ejus  
dictus Richardus praeses provinciae instanter accingitur.  
Et, cum ad summitatem montis ipsius,  
in quo aemulorum domini regis jam quantitas  
convenerat, tum ex praeruptis saxosae rupis objectibus,  
tum ex viarum arctissimis intervallis,  
sibi et suis impugnare volentibus facilis non pateret  
ascensus, obsidionem ibi satis urgentem exercitu  
congregato firmavit, inclusoque coërcuit,  
ut nulla victualium quantitas, quibus miseram  
regere possent inediā, ad eos more solito portaretur.  
Cum autem nimis esset inelegans, nec  
etiam regia fortuna permetteret, ut ejusdem rei  
perniciosa temeritas, quae turpe nimis habuerat[Page 229]

in sui fictione principium, non absque multorum  
jactura concresceret, et horridi figmenti convicium  
ulterius transiret inultum, contigit quod,  
dum senex ille versutus apud Castrum-Johannis  
cum suorum comitiva sequacium per devia fruteta

procederet, et honorifice fuisse a civibus in  
illa vana pomposite receptus, dum frustra crederet  
suis tempus in antea servire versutiis, dictus  
R. comes, illuc cum suorum equitum comitiva procedens,  
conspirantibus contra senem praedictum postmodum  
tanto errore detecto Guillelmo Malacocina  
et Andrea de Bartholucio habitatoribus  
castri praedicti, conflictu cum hostibus violento  
praehabito, praefatos senem et complices  
ejus ibidem prudenter et strenue intercipi procuravit.  
De quorum captionis eventu rege consulto,  
licet in spectaculum servari res opprobriosa potuerit,  
quia tamen dignus non erat vitae residuo  
qui tam sibi, quam pluribus aliis, fuerat causa  
mortis, poenas digne sortitur, quas juste meruerat,  
furcarum patibulo suspensus interit, et sequaces  
suos numero undecim, quos figmenti participes,  
et officiorum jam assumtorum collegas  
habuerat, ejusdem supplicii non dimisit expertes.  
Ad haec rex Manfredus firmato consilio, post  
suppicia praedictorum, partes Siciliae personaliter  
repetit, ut provinciam ipsam ab omni contagio  
perversitatis expurget, et in statu pacifico  
suae praesentiae visitatione confoveat. Veniensque  
Messanam, ante omnia praedictos Guillelmum  
et Andream, quorum proditione imperator  
ille phantasticus et sui collegae capti fuerant in  
conflictu, ultimo suppicio, prius oculis avulsis,  
affecit, ut eis de cetero perniciosae proditionis  
innata nequitia, quam fere uno eodemque tempore  
tam contra honorem regis, quam postea contra  
praefatum senem miserabilem exercuerant,  
non proposit ad tutamina personarum. Apud Panormum  
vero multa regi et varia donaria praesentantur.  
Sed in uno exenio potissime hominum  
admirabantur obtutus: Henricus enim de Albe,  
vir dives agri et auri ac abundans pecoribus in  
villa Mazariae, centum mulos singulos singulis  
incidentibus centum sclavis in suae naturalis nigredinis  
deformitate formosis, regi Manfredo pro  
devotionis et fidelitatis pignore praesentavit.  
Sic igitur regione ipsa disposita, rex Manfredus  
ad consueta solatia lacus Pensulis, quae copiosa  
venationis habilitas, originalium fontium  
amoena frigiditas, et placidi situs numerosa temperies,  
grata reddunt, aestate succedente revertitur.  
Dumque, toto jam regno in statu tranquillo  
salubriter stabilito, regem ipsum de remotis et exteris,  
ad quae jam suarum virium habenas extenderat,  
studium debitae curiositatis accingeret, parentelam  
cum rege Aragonum, tractatu hinc inde  
per nuntios praemisso, primordio contrahit, et filiam  
suam Constantiam, quam ex prima consorte  
sua Beatrice filia quondam A. comitis Sabaudiae,  
imperatore vivente, suscepserat, domino Petro,  
primogenito dicti regis Aragonum, solemnni  
matrimonio copulavit.[Page 230]

## Cap. VII

Manfredus, coram Urbano papa citatus, sedi apostolicae  
blandiri per nuntios curat. Pontifex vero, qui  
cum Karolo Provinciae comite agebat, ut ipsi regnum  
concederet, illius simulatam animi demissionem  
despicit, atque anathemate ipsum afficit.  
Post haec rex ipse Manfredus, quem papalis  
curia, etsi per se calcare non valeat, diffamare,  
propter ingratitudinem merito lacerissa, contendit,  
cui temporis etiam et rerum eventus invidiae  
zelum cotidie sua crescente felicitate concumulant,  
citatur ad praesentiam domini Urbani  
summi pontificis, citatione videlicet publica, ut  
est moris, quae alloquo tantum papalis praedicationis  
expressa et inscripta cedula affixis pree  
foribus majoris ecclesiae Urbis-Veteris, ubi tunc  
sedes apostolica morabatur, ad eumdem regem

nec literarum, nec nuntii alicujus, cum non consueverit  
hoc ecclesia facere, visione pervenit. Cumque  
nollet rex ipse super hoc de arrogantiae seu  
contumaciae culpa videri culpabilis, quem papalis  
curia, temporis opportunitate captata, satagebat  
in quantum poterat et debebat infamiae nota  
laceſſere, nuntios suos ad sedem apostolicam consulta  
deliberatione praemisit. Et, quia jam ecclesia  
tractatum cum Karolo, filio regis Franciae,  
Provinciae comite, per idoneos nuntios de concedendo  
sibi regnum habuerat, rex Manfredus, credens  
praecavere futura, praeter mores, quibus erat  
imbutus ab ipsis cunabulis, se humilians, per  
nominatos nuntios fecit summo pontifici supplicari,  
ut, ex quo ipse rex personaliter jubebat  
accedere, de ſecuro et habili loco, in quo cum  
familia et gente sua posset commode, juxta ſuae  
dignitatis exigentiam, hospitari, benigne ſibi pater  
apostolicus provideret. Paravit tamen ſe rex  
ipſe magnifice, ut, ſi expediret, non ſolum curiales,  
ſed et posſet terrigenas, caſu accidente,  
viribus ſuperare; ac uſque ad regni conſinia cum  
maxima equitum et peditum comitiva processit,  
coſiderans quod ex vicinitate locorum poterat  
habilius ſuper iis nuntiorum expectare reſponſa,  
et ibi de ulteriori processu, vel mora, quod ſibi  
melius expediret coſulta deliberatione pensare.  
Cumque non deceret eccleſiam quae proceſſerant  
de labiis ſummi pontificis irritare, qui cum comite  
Provinciae concesſionis regni oblatione präambula,  
cui ſuper hoc non expediebat illudi,  
ſolemnen per nuntios faciebat teneri tractatum,  
excuſantium prädictorum allegationes pro rege  
idem ſummus pontifex non admisit; quia dum  
eccleſia voluit, idemque rex potuit ſedi ſe reconciliare  
praedictae, coſilio et uiaſione quorundam  
comitum, quos ipſe rex bonis nobilium exulum  
non jure prafeccerat, quibus exilibus restitui  
per regem integre bona ſua, inter alia pacta,  
eccleſia contendebat, rex prädictus ipsius eccleſiae  
beneplacita parvipendit, nec annuit poſtulatis.  
Cum autem poſtmodum viſus eſt veſle ſub  
exuſitioſis cum omni diligētia pactis ſedis ejusdem

[Page 231]

ſe ſubjicere voluntati, ejus humilitatem tunc  
repudiavit eccleſia, quae ſe ſibi tempore congruo  
humiliare nequivit. Sicque ipsum regem, quem novorum  
comitum reddebat non recta coſilia pertinacem,  
tamquam jam praescitum ad malum  
ſummus pontifex excommunicationis vinculo innodavit.  
Cum igitur ſuper hoc nihil ſibi devotio  
ſimulata prodeſſet, quem de cetero nitiebat eccleſia  
omni, qua poſſet, impugnatione concutere,  
repetit rex fremens contra eccleſiam partes  
Apuliae ſic ligatus, ut circa alia negotiorum ſuorum  
ſtudia, et circa demoliendam eccleſiam curas  
liberius ſuae provisionis impendat.

Cap. VIII

Corradus de Antiochia, caſtrum Monticuli accedens,  
ab incolis per proditionem eſt detentus. Galvanus  
Lancea, ejus captivitate commotus, oppidum obsidet;  
ſed, hyeme pressus, recedit. Corradus vero,  
ſibi obſequientium opera, libertatem adipicitur.  
Interea Corradus de Antiochia comes Albae,  
regis ejusdem nepos, qui pro capitaneo fuerat destinatus  
in Marchiam, dum ad caſtrum Monticuli  
habitatorum copia et montuosi ſitus eminentia  
communitum ſub confidentia ſolita et ſpe ſecuritatis  
accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus  
ſuis per incolas loci ſubita et inopinata proditione  
detentus. In cuius ſubſidium ad mandatum regis  
magno et präpotenti exercitu congregato, Galvanus  
Lancea, comes Principatus et Fundorum,  
marescallus regni, ſocer ejusdem Corradi, cuius  
cordis intrinſeca gravi captio violenta pupugerat,

pluribus aliis comitibus, aliquis regni nobilibus  
sociatus accessit, sicut per eum juxta castrum  
Monticuli exercitus obsidione firmata, et  
ingenti depopulatione peracta, ibique protracta  
mora usque ad urgentissimam hyemis instantiam  
tempestatis, dimissa quoque in Macerata magna  
equitum comitiva ad impugnationem Monticuli,  
et captis quampluribus ipsius regionis nobilibus,  
qui factionis ejusdem capita dicebantur, dictus  
Galvanus, et alii de comitiva sua, soluto exercitu,  
cum castrum ipsum habere non posset, nec  
mora sua esset ulterius utilis, revertuntur. Contigit  
autem quod idem Corradus, quem proditores  
sui ante depopulationis illatae dispendia liberare  
noluerunt, procurante solertia quorumdam  
devotorum suorum, qui circa ejus custodiam assistebant,  
somno vinoque sepultis excubiis, intempestae  
noctis silentio de carcere compeditus  
evasit, et, fugientibus custodibus cum eodem, restitutus  
est beneficio libertatis.

#### Cap. IX

Richardus de Aniballis adventum Karoli maturat,  
qui a Romanis interea senator perpetuus legitur.  
Dum regi praedicto undique ad votum universa  
succederent, dominus Richardus de Aniballis[Page 232]

Sancti Angeli diaconus cardinalis, natione romanus,  
nescitur quo spiritu ductus, quave intentione  
commotus, indefessae sollicitudinis studio vehementer  
instabat, quod praedictus comes Provinciae  
negotium regni contra regem eumdem mora  
qualibet aggredieretur abjecta, offerens magna de  
suo peculio pro expensis dicti comitis mutuare.  
Sed in eo mirari quis poterat, quod cum tota domus  
cardinalis ejusdem, nomen gebellinitatis ab  
antiquo sortita, regi jam dicto studeret sincera devotione  
placere, idem cardinalis, quo animo discute,  
lector, adventum praefati comitis procurabat,  
quasi suorum vanarentur excidia, quorum  
periculosa dispendia sub ejusdem comitis secutura  
felicitate praevidere poterat et tueri. Hujus igitur  
cardinalis pars guelfa Urbis sedulum, vel potius  
subdolum, praesentiens studium, exclusis pro  
majori parte nobilibus gebellinis ab Urbe, de quorum  
numero quidam ipsius cardinalis nepotes  
erant, procuraverunt sagaciter, et provide ordinarunt,  
quod populus Urbis, quem ex hoc in illud  
exilis quandoque versat occasio, quique frequenter  
consuevit illius modicae libertatis reliquias,  
quas in eum proscripta veterum transfudit auctoritas,  
prodigaliter ac impudice distrahere, praedictum  
Provinciae comitem elegerunt in dominum,  
et senatorem Urbis perpetuum vocarunt. Hunc  
etiam comitem dictus summus pontifex, ut habeat  
operarium, per quem temporalem gladium  
seculariter exerceat, non absque gebellinorum jactura  
multorum, regi praedicto procurabat opponere.  
Nam frequenter eidem comiti regni Siciliae,  
cujus ipse rex pacifica, licet violenta, possessione  
gaudebat, certos per apostolica scripta, et per  
nuntios etiam, direxerat sponsiones.

#### Cap. X

Karolus Romam suum vicarium mittit: quo munus  
suum fungente, Petrus de Vico cum quibusdam adversariis  
suis, praesertim cum Anguillariae comite  
Pandulpho, decertabat; atque, a Manfredo adjutus,  
surinam civitatem occupat. Manfredus vero  
concilium omnium regni nobilium, comitum et baronum  
colligit, eorumque voluntates atque opes  
explorat, ac Percivallum de Oria Ducatum versus  
mittit.  
Interea dictus Karolus ad requisitionem et  
instantiam guelforum de Urbe vicarium suum  
misit ad regnum Romanorum, qui civitatem ipsam  
in ipsis absentia regat et dirigat loco sui.

Cum autem vicarius ipse rector in Urbe praeesset,  
et nobilibus, quos ejectos invenerat, civitatis  
ipsius introitum denegaret, nobilis quidam Urbis  
proconsul, nomine Petrus de Vico, qui in maritimae  
partibus Urbi vicinis, et alibi per districtum  
Urbis plura castra tenebat, et qui regi Manfredo  
jam dudum ex zelo devotionis inhaeserat, guerram  
cum quibusdam adversariis suis, et specialiter  
cum Pandulfo comite Anguillariae, cotidianis  
conflictibus agitabat. Hujus autem comitis  
pater multum fuerat imperatori Frederico devotus,  
quandiu Fredericus ipse in ecclesiae gratia [Page 233]

perstitit. Sed hic comes, paternam devotionem non  
sequens, quoad regis praedicti personam, quem  
Frederici legitimum non reputabat heredem, cum  
adhuc Corradinus Corradi filius superesset, regi  
Manfredo praefato, consideratione sedis apostolicae,  
cui totus adhaerebat, signa reverentiae, per  
quaes forte multa vitasset dispendia, non ostendit.  
Illi quoque diebus Jordanus comes praedictus  
exercebat in Marchia pro parte regis officium vicariae,  
et cum agminibus illorum Theutonicorum,  
qui secum contra Florentinos fuerant, conflictu  
habito, cum eisdem potenter in obsidione Monticuli  
existebat. Post paucos autem dies, ad petitionem  
et instantiam dicti Petri, proviso regia, quae  
gebellinis proximis et remotis opportuna de more  
porrigere suffragia nitebatur, quamdam quantitatem  
ex praedictis Theutonicis sub capitanea cujusdam  
nobilis familiaris sui, nomine Francisci  
Trigisii, in ejusdem Petri subsidium destinavit.  
Cum autem dictus Petrus, tam gentis illius auxilio,  
quam partis sua favere confisus, contra hostes  
suos animum roborasset, civitatem sutrinam,  
cujus idem Petrus majorem partem tunc habere  
videbatur, violenter intravit, eamque dominio regio  
subdidit, ac fidelitatis fecit juramenta praestare.  
Medio autem tempore rex, intermissis solatiis  
suis, profectus est in Terram-Laboris, ut  
de negotiis spectantibus ad pacificum statum regni,  
tam de resistendo viriliter comiti Provinciae,  
si veniendi per eum, sicut communis tenebat  
opinio, casus incideret, quam de obstante quibuslibet  
aliis, qui regni vellent turbare quietem,  
deliberationis debitae consilio provideret. Generali  
ergo propterea apud Neapolim celebrato colloquio,  
comitum et baronum, aliorumque regni  
nobilium animos et vires examinat, et servitum,  
quod eorum quilibet debet et posset, singulari discussione  
requirit, jam notatis singulorum servitiis,  
et feudatariis omnibus apparatus, provida  
deliberatione statuit, ut Percivallus de Oria, familiaris  
et affinis regis, ad partes Ducatus cum magna  
militum et arceriorum quantitate procedat.

Cap. XI

Vicarius populusque romanus urbem sutrinam oppugnatum  
exeunt, ac statim capiunt. Deinde castrum  
Vici obsident. At, tum hostium metu, tum dissentionibus  
inter se ortis, exercitu dimisso atque soluta  
obsidione, Romam revertuntur.

Interea vicarius Urbis, populusque romanus,  
pro recuperanda civitate sutrina communiter  
exeunt, et, cum civitatis moenibus appropinquant,  
priusquam ad impugnationis et conflictus signa  
perveniant, civitatem ipsam propter subitam revolutionem  
civium, quorum magna pars erat  
guelfa, quae statim Romanis venientibus contra  
Theutonicos vigoris sumsit audaciam, ad manus  
suis, et Urbis dominium revocarunt, exeuntibus  
exinde per fugae subsidium dicto Petro, et aliis  
de comitiva sua, qui non potuerunt sic omnes illaesi  
discedere, quin plures ex Theutonicis fuissent [Page 234]

equis spoliati et armis, et quin plures ex eis

in Sutrinorum manibus remansissent. Deinde castrum Vici, quod est ejusdem Petri, ad quod Theutonici se receptaverant, cum eodem populus romanus urgenti obsidione circumdat, et machinis, caveis, aliisque impugnationis modis, valida perurget instantia et molestia. Cumque, rege Manfredo morante Capuae, haec omnia ad ipsius notitiam pervenissent, mutato consilio incontinenti memoratum Percivallum de Oria, qui versus partes Ducatus gressus direxerat, cum exercitu suo versus Vicum in ejusdem Petri subsidium propere mandavit accedere, aliumque exercitum in regni confinibus sub magistratu Richardi Philangerii, jussit illico congregari, ut Romanis eisdem, nisi a predicti castri obsidione discederent, omni quo posset hinc inde conamine detimenta continuae offensionis inferrent. Romani, longa obsidione fatigati, cum recolligendarum frugum tempus instaret, audito quod tantus succursus Petro de Vico contra eos ibat, et rex Manfredus etiam famose dicebatur iturus, usi consilio saniori, ab ejusdem castri obsidione discedunt, et in Urbem propere revertuntur. Eorum etiam obstinata dissensio, et natura semper invicem ad dissentendum proclivior, quam nunquam commune commodum, sed proprium dumtaxat affectat, dum jam expugnationis et devictionis ipsius castri hora proculdubio appropinquat, dum obsidentium animi nutare incipiunt, et jam in vota contraria dividi, rei tam viriliter coptae, ac votivae depopulationi paratae, non expectat eventum. Vicarius enim Urbis, Jacobus videlicet de Gancelmo, de Provincia oriundus, qui secundus Karoli comitis predicti vicarius erat, primo, qui Gallicus fuerat, naturae debitum persolvente, praesentiens vota exercitus multa divisione nutare, et majoris partis ejusdem exercitus animos, qui ad finalem dicti Petri exterminium nolebant operam exhibere, sic intra se perpendens quadam seditiosa machinatione corruptos, quod Theutonici infra septa burgi ejusdem castri morantibus de se videbantur victoriam polliceri, generalem populo dedit licentiam descendendi, et redditum militaribus catervis indulxit. Sicque, hujusmodi exercitu dissoluto, et obsidione dimissa, versus Urbem populus et vicarius revertuntur.

## Cap. XII

Percivallus, contra ecclesiam proiectus, in trajectu aquae Nigrae de Narco submergitur; in ejusque locum Johannes de Manerio suffectus, ultra ausus non est procedere. Deinde Petrus de Vico et Franciscus Trevisius, cum Anguillariae comite, a Pipione Ligure adjuto, commisso proelio, dum Ligur in fugam se vertit, ipsum comitem captivum faciunt, magnamque hostibus cladem inferunt. Deinde, cum de mandato regis Percivallus praefatus gressus suos versus partes Ducatus repeteret, ut loca fidelium romanae ecclesiae totis inquietaret viribus, et sedem apostolicam usque ad extremos suae receptionis angulos molestaret, et apostolatu[Page 235]

etiam iuxta posse privaret eamdem, contigit, illo volente, qui tandem depressit obstinatam superbiae malitiam Pharaonis, quod, dum ad cuiusdam aquae transitum, quae dicitur Nigra de Narco, prope castrum Arronis, tempore invadoso, idem Percivallus cum infinito exercitu Sarracenorum et peditum et equitum excommunicatorum, concitatus contra ipsam ecclesiam, pervenisset, in ipsius aquae passagio, quam multitudo gentis praeviae illaesa transierat, cuiusdam praecedentis alterius relevare volens occasum, fuit ipse solus equo subcumbente submersus, substituto sibi statim in capitaneae officio, juxta regis edictum, Johanne de Manerio, ut eidem exercitui praesideret. Sed, cum ex inopinato casu dicti

Percivalli totus fuerit exercitus terrore concussus,  
et dominus Urbanus multos fideles, quos  
apud Urbem-Veterem cruce signaverat, contra  
Percivallum et exercitum supradictos illuc obviam  
jam misisset, dictus Johannes et exercitus hujusmodi  
ausi non fuerunt ultra procedere. Unde tunc  
ecclesia novo quasi jubilo concinit: "Cantemus  
Domino. Glorioso enim honorificatus est, (equum)  
et ascensorem deiecit in amnem". Post  
modicum vero temporis rege in Apuliam redeunte,  
dum Petrus de Vico et Franciscus Trevisius  
cum stipendiariis regiis in quodam castro ipsius  
Petri, quod Blevium dicitur, morarentur, et comes  
Anguillariae cum comitiva sua, et copiosa  
equitum multitudine lombardorum, quam dominus  
Urbanus summus pontifex sub magistratu  
cujusdam Pipionis nomine de Liguria, et vicarius  
Urbis etiam eidem comiti destinarant, apud castrum  
Vetrallae, quod tribus fere millibus distat  
a Blevio, pervenisset, dum non possent se hostes  
prae nimia collium oppositione recte respicere,  
nec alter in alterum insilire, contigit quod, cum  
dictus comes et sui, de strenuitate et multitudine  
confidentes, in quaedam media plana procederent,  
memorati Franciscus et Petrus cum Theutonicis  
secum morantibus, qui pridem ab ipsis hostibus  
fuerant lacesiti, et ultionis tempus promtis animis  
expectabant, in eos viriliter irruerunt; conflictuque  
magno inter eos hinc inde commixto, fugit  
dictus Pipionus et comitiva sua; relicisque  
comite ac Romanis in ipso conflictu, bellum fuit  
aspernum, diuque duravit. Tandem praevalentibus  
Theutonicis, captus est dictus comes, et plures  
romani nobiles cum eodem, multis ex suis,  
quibus maxime Theutonicorum gladius non parcebatur,  
occisis, multisque in aestus ardore et armorum  
valida oppressione peremtis. Ubi Stephanus  
Accaricia, cives romanus, vexillifer exercitus  
comitis, vir inquam in bellorum exercito strenuus  
et famosus, interius aestuans siti, ut referunt,  
oppressus et suffocatus interiit, quamquam nihilominus  
tempus ex multis percussionum receptarum  
concussionibus deficere potuisset. Cum eodem  
Stephano nepos suus occubuit, Palamides nomine,  
cujus animositas tunc maxime claruit, qui  
in annis juvenilibus multa strenuitatis industria se probarat.[Page 236]

### Cap. XIII

Manfredus una cum Romae gebellinis adventum Karoli  
impediendum curat. Quare Petrus de Vico magna  
equitum manu, ut vicarium guelphosque vexaret,  
noctu Romam ingreditur, ac hostium agmina  
pellit fugatque.  
Adhuc memorato vicario Karoli Romae prosecutionem  
sui regiminis agente feliciter, non solum  
rex Manfredus ad impediendum adventum  
ipsius Karoli, sed et gebellini de Urbe nobiles vigilanter  
intendunt. Parant sollicite undique sibi  
bella. Jam per maris excubias multitudo galearum  
invigilat, et velut pirata aemulus classes freta  
circumeunt numerosae. Jam Theutonicorum  
voluntatis impetus fremescit effraenis, et eorum  
signa, velut ex eventu forent futuro victoria, in  
partibus tiburtinis prope Cellas citra regni confinia  
pompose distenta praefulgent. Verum, cum  
per romanam ecclesiam dicto Karolo ad prosequendum  
regni negotium esset in ipsius regni concessione  
terminus stabilitus, quo ipse personaliter  
Romae deberet adesse, rex praedictus, principiis  
nitens obstare, sollicitus, tam per mare, quam per  
aridam terram, impedire, ac omnino praecidere,  
si valeat, ipsius Karoli tentat adventum, ut, per  
lapsum temporis praefiniti, Karolus ipse concessionis  
praedictae cadat a jure, et rex Manfredus  
postea ejusdem ecclesiae, cuius jam eum poenitebat

non paruisse mandatis, reconciliare se posset affectibus.  
Unde sub ipsius regis nomine, eo ministrante  
subsidia, Petrus, romanae proconsul urbis,  
qui, sub gebellinitatis abusione vocabuli, regis ejusdem  
toto conamine favebat honoribus, ab Urbe cum  
quibusdam nobilibus gebellinis ejectus, condixit  
et ordinavit cum gebellinis eisdem, quod, ad impediendum  
memorati vicarii regimen, et Karoli  
dominium subvertendum, quilibet ex ipsis gebellinis  
nobilibus cum equitum comitiva suorum,  
quibus dictus rex stipendia ministrarat, Urbem  
certa deberent hora repete, ac subito subintrare,  
ea intentione commoniti, ut non solum contra  
vicarium praedictum, sed contra nobiles guelfos  
Urbis, qui Karoli promovebant excellentiam,  
toto posse, captata opportunitate, configerent, et  
collectis eorum viribus offensarent. Sicque apud  
castrum Cerveteris, dictus Petrus quantitatem  
equitum congregavit; et solus cupiens placendo regi  
Manfredo munera praevenire fortunae, qui potius  
postmodum infortunii calicem praegustavit,  
versus Urbem continuata nocte festinat, ne forte  
sibi mora posset ad imbecillitatem animi computari,  
promptus et audax, praeveniens alios, intrat  
Urbem, domos, quas quondam tenebat, quas tunc  
faciebat vicarius custodiri, in aurorae rutilo animosus  
aggreditur et invadit; est enim Romae locus,  
quem alvei dividentes tyberini latere circumsepiunt  
ab utroque, ad quem praestant aditum  
pontium monumenta conformia. Hic, ab antiquo  
insula Lycaonia nuncupatus, absque montuosa  
eminencia, et sine munitione moenium est per[Page 237]

se valde tutus et fortis, ita quod longo posset tempore  
ab insultatione quorumlibet defensari. Ad  
hunc autem cum idem Petrus cum suorum equitum  
comitiva procederet, praesentitus ab ipsius loci  
custodibus, intra ejusdem loci claustra nequiens  
se reducere, ut credebat, se et suos citra eumdem  
locum in quadam contrata, quae Piscinula dicitur,  
recepit, et quasdam domos inibi statim  
defensoribus muniens, ac viae communis, seu publicae,  
passus trabium et tabularum oppositione  
fortificans, credebat ab imminentibus inimicorum  
incursibus, qui jam accincti contra eum ad veniendum  
fuerant, se tueri. Cumque Jacobus de  
Gaucelino vicarius Urbis praedictus cum quibusdam  
Provincialibus, guelforum terrae non expectato  
subsilio, ad repellendum dictum P. et gentem  
suam equis, sicut decebat, communitus et  
armis accederet, conflictus primordia reportavit  
adversa. Nam, licet hinc inde Provinciales praedicti  
ac gebellini romani cum dicto P. aspere nimis  
et fortiter conflixissent, vicarius tamen, et  
ipsi Provinciales, bello fracti, tamquam viribus  
impares, impelluntur.

#### Cap. XIV

Johannes de Sabello Provincialibus subsidio venit,  
qui, sumpto animo, proelium acrius ineunt. Petrus,  
una cum tribus suorum, vix in fuga salutem  
reperit: caeteri partim interempti, partim captivi  
facti sunt.

Succurrente Provincialibus per insulam supradictam  
domino Joanne de Sabello, qui erat homo  
securi cordis et animi, honorem Karoli zelans  
mentis affectione sincera, vicarius et Provinciales  
resumunt animum contra hostes, et, eis ab alia  
parte illius contratae resumentibus bellum viriliter,  
dictus dominus Joannes ex parte insulae contra  
eosdem gebellinos animose perurget insultum.  
Et, dum hostes, a duabus partibus instantissimo  
bello perursi, se in fugam convertunt, dictus dominus  
Joannes versus personam tantum dicti Petri  
se dirigebat, ut idem Petrus posset intercipi  
et teneri. Fugit ergo extra Urbem dictus Petrus,

et ad castrum suum Cerveteris, tota comitiva dimissa,  
per viam aliam est regressus. Capiuntur  
omnes commilitones sui, et carceribus Capitolii  
mancipantur. Dictusque vicarius tam gloriosum  
et victoriosissimum triumphum ex dictis gebellinis  
assequitur, quod totam comitivam dicti Petri,  
excepto ipso Petro cum tribus sociis, quos  
fugae praesidium ab ejusdem vicarii potestate subduxit,  
alios crudelis gladius excidiose contrivit,  
et Capitolii carcer adstrinxit. Ex hac itaque debellione  
quamplurima gebellinorum fuerunt corda  
concussa, et eorum maxime, qui secundum deliberata  
et proposita cum dicto Petro Urbem non  
fuerunt ingressi, adeo animi perterrentur, quod  
ad turbandam Urbis quietem, quam demoliri conabantur  
... suos regressus ulterius non attentant;  
sed in Urbis circuitu per castra eorum anxii,  
tamquam aper confossus a venatore, discurrunt.[Page 238]

#### Cap. XV

Urbano mortuo, Clemens IV pontifex maximus deligitur,  
qui, provincialis cum esset, regi Karolo maxime  
favet, ejusque adventum maturat.  
Cumque agerentur praedicta, dominus Urbanus  
apud Perusium coecae mortis morsibus exspiravit.  
Et, dum ecclesiae, Deo volente, celeri provisione  
succurritur, elegitur in summum pontificem  
dominus Guido Fulcodii sabinensis episcopus,  
qui, quondam expertus conjugales amplexus,  
in advocationis officio Parisiis tempus juventutis  
expenderat, tandem vitam clericalem assumens,  
regis Franciae consiliarius, et postmodum narbonensis  
archiepiscopus esse promeruit, et de hujusmodi  
praesulatu successive fuit, ejus crescentibus  
in honestate meritis, per dictum dominum  
Urbanum ad cardinalatus apicem evocatus. Demum  
vero summus pontifex jam creatus vocari  
voluit Clemens IV. Hic namque universalis antistes,  
cum esset provincialis, de Sancto Aegidio  
scilicet oriundus, et a domo Franciae, sub cuius  
favore creverat, multa et magna beneficia per  
bonorum incrementa continua suscepisset, favet  
Karolo quantum potest, et, bonorum ecclesiasticorum  
in Francia et Provincia decimatione recepta,  
multos de ipsa decima equites cum dicto  
Karolo venturos in regnum soldat, aliisque concedit  
cruce-signatorum veniam, quam concedere  
consuevit ecclesia transfretantibus ultra mare.  
Sicque tota fere Gallia et Provincia pro dicto  
Karolo, favente Clemente postmodum, qui antea  
per Urbanum de regni dominio perpetuam  
recepérat cessionem, ad mactandum regem Manfredum  
tamquam vitulum saginatum, quem ejusdem  
regni delitiae delicate nutrierant, sollicitatione  
provida concitatur; et quidam gratuito animo,  
quidam mellifluia Karoli suasione perursi,  
nonnulli stipendiati de decimatione predicta, alii  
vero cruce-signati, contra dictum regem venire se  
parant. Jam per montes et citra fulgentia signorum  
lilia vernant; jam pro conservatione Urbis  
ad praeparandas Karoli vias quamplures milites  
praemittuntur. Et, quia dictus dominus Clemens,  
erga praedictum Karolum temeritate multa cordis  
accensus, et de statu suo tamquam de filii honore  
sollicitus, ipsius, quin immo ecclesiae, negotium  
indefessa sollicitudine vocis et operis ferventer  
assumserat, et dicto Karolo multa de bonis ecclesiae,  
praeter decimationem praedictam, fecerat  
mutuari, omnia, quae sub coeli tegmine reguntur,  
quaeque ambitus terrae claudit, Karoli felicitati  
futurae serenis auspiciis obsecundant.[Page 239]

#### Cap. XVI

Karolus rex Ferrerium cum quibusdam aliis Romam  
mittit. Hic, quum eo pervenisset, ut cum Theutonicis

pugnaret, quibus Jacobus Neapoleon preeerat,  
apud Cellas nulla mora procedit: at, victus  
captusque, ad Manfredum regem sub fideli custodia  
mittitur.

Praemittitur igitur ad Urbem cum aliquibus  
militibus ultramontanis quidam Ferrerius nomine,  
statura magnus, corde ferreus, qui verisimiliter  
corde nomen aequet; qui, Romam perveniens,  
statim versus partes tyburtinas ad loca, quae  
Cellas nominant, ubi agmina Theutonicorum, sub  
ducatu domini Jacobi Neapoleonis, ad passuum  
regni custodiam, et pro favore ipsius morabantur,  
cum quodam promtitudinis fervore processit. Ibi  
enim dictus Jacobus Neapoleon, qui erat caput  
gebellinorum Urbis, et ab Urbe gebellinitatis  
praetextu fuerat violenter ejectus, habet prope  
dictas Cellas castrum Vicovarii valde forte, in  
quo Theutonicorum agmina praedictorum, cum  
volebant, membra fatigata discursibus quietis otio  
restaurabant. Quorum Theutonicorum idem Jacobus  
pro eo dux erat et duxor, quod dictus rex  
ipsos Theutonicos ad partes illas maxime in ipsius  
Jacobi subsidium ex callida provisione transmiserat.

Cum iis sane dictus Ferrerius credens  
in illo sui fervoris impetu ex eis et romanis exilibus  
triumphum proculdubio consequi, ex improviso  
bellum durissimum absque commilitonum  
latinorum consilio inchoavit, quamquam a campanis  
militibus, quos summus pontifex praedictus  
in ejusdem Ferrerii subsidium soldari fecerat,  
fuisset ei ne tunc iniret bellum cum Theutonicis  
instantissime persuasum. Verum non sine superno  
mysterio fortunae Karoli patiebantur auspicia  
quod primum campestre bellum perderetur a  
suis, ut ex hoc forte recipient pro subsequentibus  
negotis intellectum. Fortuna quoque plerumque,  
seu volubilis fortunae rotatus, actibus humanis illudens,  
nonnunquam praecedentia signa victoriae  
ultima fatetur, cum felicitate mentitur, et quodam  
anticipato favore primordialiter exhibet remunerationis  
gratae primitias, ut incautos demum  
in exterminii finalis abyssum demergat liberius  
et adducat; quae, hoc continuo deceptionis  
ludo ludendo, volens regi Manfredo favisce videri,  
dat sibi, ut ita loquar, morcellum Cerberi, ut non  
possit ex talibus ultra sumere, vel amplius deglutire.  
Sicque jam dictum Ferrerium, qui ex nimio  
impetu fervoris incautus prorumpere cum Theutonicis  
et romanis exilibus inchoarat, in praecipitii  
discrimen eadem fortuna perduxit. Nam,  
bello totaliter perduto, remansit in campo manibus  
hostium interceptus. Memoratus autem Jacobus,  
ex hac novi triumphi successione novo respersus  
gaudio, dictum Ferrerium captivum ad  
regis praesentiam sub fideli custodia destinavit.  
Hujus captionis diem rex praedictus constituens  
celebrem, ipsumque felicium futurorum successuum  
grande paeambulum solemnizat, et festiva[Page 240]

celebratione commemorat. Veniunt igitur ad regem  
augures, assistunt astrologi, assunt harioli,  
currunt haruspices, et festinant divini; ac, veluti  
qui eorum dicta, ut volentibus applaudant dominis,  
et dissimulantibus adulentur, soliti sunt  
subornare mendaciis, certam spem regi de prosperis  
successibus pollicentur.

Cap. XVII  
Manfredus, ut Karoli adventum paeapediret, classem  
contra eum mittit: at ille, sua cum classe Romam  
veniens, exorta tempestate, hostium evitat occursum,  
atque in celoce periculum evadit. Sui vero,  
mari sedato, obstaculisque remotis ad Tyberis ora  
positis, Romam pervenient, magnoque gaudio sunt  
excepti.  
Interea terminus peremtorius, qui tamquam

praejudicialis Karolum eximie coartabat, ex decursione  
temporis paulatimque serpens appropinquit.  
Et, dum de adventu ipsius vota fidelium  
desperarent, subito juxta fauces Urbis galearum  
caterva, velut vernale fulgor, miraculose detegitur  
et videtur. Sed, cum fuisset per regem Manfredum  
immensem galearum stolium ex gente in mari  
pugnabili ad impediendum Karoli marinas seminas  
destinatum, ante omnia stolium ipsum  
fauces Tyberis cespitibus, trabibus, palis, et magna  
lapidum mole turbavit in tantum, quod galeis  
aditus de facili non patebat ad Tyberim.  
Per hoc enim admiratus regis credebat galeas Karoli  
saltem inibi juxta fauces taliter intercipere,  
quod nullatenus posset effugere manus suas, nec  
suae potestatis judicium evitare. Quo facto, cum  
jam mare procellis inundantibus inciperet conturbari,  
dictus admiratus, procellas metuens imminentium  
tempestatum, quibus ad terram invitus  
et naufragus ex ventorum violentia poterat  
deportari, alta petiti aequora, et freta spatiosa  
pererrare delegit. Propter quod cum galeae, quae  
Karolum devehebant, ad terram ventorum impetu  
fuissent impulsae, galeis regis Manfredi nequaquam  
obviaverunt, sed usque ad romanam  
plagiam pervenerunt illaesae; ibique fixis anchoris  
et extensis ad terram rudentibus, vix hora  
modica sine fractionis discrimine potuerunt subsistere.  
Sed, sicut Deo placuit, cuius est solius gressus  
dirigere hominis, eadem durante procella Karolus  
quamdam sogittariam ascendens, imminente  
sibi periculo personali terram petiit, cupiens  
forsitan vel extinctus adimplere quod jurando  
spoponderat, quam ignominiose a regni concessione  
cadere vel repelli. Sicque in descensu ad terram,  
cum non crederetur evadere, sed omnino  
submergi, terra romana ipsum miraculose habuit  
redivivum. Tandemque, maris impetu tranquillato,  
galeae ipsius Karoli, procedentes ad fauces,  
singula, quae objecta fuerant, obstacula spatiose  
submovent, Tyberis alveos libere intrant,  
ac deinde, sicut moris est, trahuntur ad Urbem.  
Karlo autem, qui ad terram ante descenderat,[Page 241]

Deo volente, qui hominum dirigit vias et vota,  
omnes romani nobiles veniunt obviam, et eum cum  
reverentiae honore multo suscipiunt, ipsumque  
apud monasterium Sancti Pauli prope Urbem  
conducunt. Hinc turba romanorum popularium  
plebs infinita generis utriusque, masculus et foemina,  
senex et juvenis, laicus et clericus, ac religiosus  
ordinum diversorum, cum palmis processionalibus  
occurrendo promsitus Osanna pium. Sumensque  
ex animo gaudia, et aggressus proinde  
festiva tripudia, choreis saltantium et psallentium  
cantico modulationis variae noviter exinde adinventa  
de more dispositis, Urbis tandem plateas et  
vicos tripudiantibus pedibus circuire non cessat.  
Ac quilibet nobilis, secundum suarum facultatum  
potentiam, secum quorumdam equitum comitivam  
signanter induit ad ludendum; et omnes excipiunt  
plausu pavidos, gaudentque videntes Francigenae.  
Cap. XVIII  
Ludis Romae variis peractis, Karolus, sibi suisque  
data quiete, illos optimis equis instruit.  
Postquam omnes laeti Francos oculosque suorum  
lustravere in equis, signum clamore paratis  
dabat militiae praecursor. Ceteri statim discurrebant  
pares, et alii terni agmina solvebant deductis  
choris; rursusque vocati convertere vias,  
hastas e contra ferebant. Inde alios cursus aliquosque  
recursus alternis spatiis frequentabant, nec alternos  
cessabant orbes orbibus impedire, nec terga  
fugae nudant. Nunc vertunt hastilia inoffensi. Ac,  
sicut labyrinthus quondam, velut fertur, in alta

Creta coecis parietibus habuit textum iter et viam  
ancipitem mille dolis, non aliter romana girata  
vestigia cursu impediunt plures repetito. Hunc  
autem morem cursus Ascanius, cum muris cingeret  
Albam, priscos Latinos edocuit celebrare. Non  
est ergo sanum memoria, quod pro aliquo domino  
Romani usque ad illa tempora tam magnalia  
ostentamenta congesserint, quae diserti oratoris  
officium non posset brevi hora temporis enarrare.  
Memoratus ergo Karolus, qui mille forte milites  
electissimos, et in exercitio bellico vicibus multis  
expertos per mare conduxerat, dura maris tempestate  
confractus fatigata membra in ecclesia  
Sancti Pauli praedicti requie votiva restaurat,  
exercitum inibi copiosum quiescendo moratur,  
qui per terram de ultramontanis partibus veniebat,  
et interim equis optimis milites suos munit.[Page 242]

#### Cap. XIX

Classis Manfredi, usque ad Januae litora a tempestate  
rejecta, ad Tyberis ostia postea rediens,  
obstacula amota reperit: quare maxima admiratione  
atque conturbatione Manfredus afficitur.  
Verum, cum admiratus stolii galearum regis,  
quas usque in districtum Januae valida tempestas  
impulerat, Karolum et galeas suas audisset  
Romam venisse prospere, mente turbatus, spirituque  
confusus ac medullitus stupefactus, illico  
retrocessit; et, repetens fauces Urbis, comperit ex  
ipsis faucibus omnia obstacula, quae objecerat,  
provida oppositione dejecta. Sicque, non sine multa  
cordis erubescencia, ob hoc a rege praedicto de  
incauta et neglecta sollicitudine redargutus, passus  
est condignas contumelias et terrores. Rex  
itaque Manfredus, auditio quod Karolus Romam  
sub tantae fortunae discrimine venerat, coepit  
mente fremescere et animo conturbari. Sed, dum  
vix posset admirandi rumoris hujus narrationem  
credere, quae ex continua sollicitudine nuntiorum,  
velut caldarerii malleus, qui ad cudendum  
socii verba non expectat, regium denuo perstrepebat  
auditum, non solum veniendi admiratur  
modum, sed qualiter stolium galearum suarum  
classes Karoli sic praeterire potuisset invisas,  
vehementissime obstupescit.

#### Cap. XX

Cometes in coelum apparet. Manfredus omnes suos  
ad concionem Beneventi advocat.  
Ex iis et aliis signorum praesagiis et portentis,  
quae coelum, terra, mareque praetenderant,  
intellexus Manfredi recipere poterat quod ex divino  
judicio, cui suis fortuna cedit incursibus,  
singula hujusmodi erant quaedam paeambula  
praeparatoria contra eum. Illis enim temporibus  
cometa apparet, quae per plura lustra clausa  
sub coeli velamine in sui aperitione didicit regna  
mutare, ac ut plurimum subsistentia cessare dominia,  
suos usque ad terram lucidissimos crines,  
velut radios solares, extendit. Sed, quamquam regi  
praefato sua et suorum ex iis praecedentibus signis  
proxima desolatio dareatur intelligi, ipse tamen,  
suos consulens augures, et requirens astrologos,  
mentiebatur se sibi cum quodam palliato solamine  
per longa tempora regnaturum. Edicit  
ergo generale colloquium apud Beneventum, et  
barones ac feudatarios omnes de regno toto, nec  
non aliquos bonos viros de singulis magnis locis  
districtius evocat, et ad se revocat Theutonicorum  
et aliorum stipendiariorum cohortes, quas  
per Italiam in gebellinorum subsidia sparserat.  
Congregatisque universis, quos e terris regni fecerat  
edicto publice accersiri, ad comites principaliter,  
tamquam ad electos suos, se dirigen, talis  
sermonis verba verborumque propositiones orditur:[Page 243]

Cap. XXI

Manfredi ad suos oratio.

"Ecce (inquit) ignis urens, de longinquo motu fulmineo veniens, jam pae foribus nostris astat. Unusquisque ergo, ut ab hujusmodi incendiis suam domum provida tuitione defendat, aquam de cetero sine excusatione manibus suis excipiat, et viribus totis obsistat, ne dum ab igne, qui sine rerum et personarum acceptione de sui natura violenta consumit, domus cuiuslibet absque obicis resistantia incendatur. Ecce incurata ulcera, quae corporis nostri pudor huc usque sub contemtus dissimulatione celavit, sine remedio parantur ad fistulam; jamque incurabilis quodammodo despectus morbus incubuit et concrevit. Quilibet ergo propria manu acuto gladio morbi tam pestilentios tamque lethiferi venas et vias toto posse praecidat, ne dum usque ad cordis interiora pervenerit, ex nostra incuria et neglectu medullas inficiat, et nos in desperationem curationis adducat.

Gens quippe ista, domini comites et barones, quae nunc regnum et patrimonium nostrum acriter festinat invadere, ferocissima dicitur et austera. Haec, inquam, pietatem et misericordiam dimisit, infr... cor durum, mentem feram, et animum inexorabilem contra nos ex proposito secum deliberato congestans. Audivistis forsitan aliquando de benignitate ac mansuetudine illorum de domo regis Franciae aliqua enarrari; sed tales non credatis esse qui nos volunt aggredi. Hos quidem nec amicae preces, vel affectionis zelus, in regnum concitatavere venturos, sed auri sola cupido, necnon rerum affluentia grata regni, quam pompa regnolarum desiderabilem fecit esse, illos, ut fiant in nos violenti praedones, allicit, rerumque nostrarum velut sitibundos ad regnum attrahit, et nostra spolia desiderare compellit. Et sicut ipse comes Provinciae Karolus, filius regis Franciae, illa in regnum intentione festinat, ut bona nostra sua faciat, et personas, si possit, extinxisset, ita, immo avidius, ejus milites eo animo veniunt cum eodem, ut nostra deripiant, nec dimittant personas. Sed o praesumptuosa crudelitas nostris inaudita temporibus, quae nobis, et imperio etiam, iniuriari non metuit, quos offendere titubat totus orbis! Non enim habet vestra memoria, quod se.....bonae memoriae.... vestrorum temporibus tanta regiminis, et tam grata pacis requie frueretur. Nunc autem gentes ignotae, gentes externe et effraenes, quae nonnisi ad crudelia manus habent execrables atque aptas ad ferocitates promtas, et .... rapinas, quaerentes semper quid devorent, quidque praedentur, tranquillum statum regni audent concutere, ac nostra otia perturbare. Credunt enim solo sui furoris impetu subjugare cetera, et regnum ac nos suae subjcere ditioni. Sed, quia cum ferocitate deproterant, ferocius[Page 244]

resistere nos paremus. Firmiter enim credere possumus, quod cum pro ... destitutione nostrorum, et pro conservatione nostrae justitiae, si expediatur, dimicemus, mater ipsa justitia nos fovebit. Unum quidem attendite, quod si furori ... aut lente obsistamus, sive nos audiant quoquo modo in aliquo vacillantes, Gallici ... vos impellent. Animosi enim sunt aggressores: verum, cum resistitur eis viriliter, finaliter consueverunt subcumbere, consuetudine superborum. Cum ergo haec injuria tangat omnes nostros fideles, et illos magis, quos abundare magis regni deliciae concesserunt, et qui terram a nobis obtinent ampliorem, universi et

singuli, qui honorem zelant nostrae majestatis  
et commodum, nostrarque celsitudinis affectant  
gloriam, armis, equis, et expertorum virorum  
comitiva se munitant juxta suarum potentiam  
facultatum, ut, cum venientium nostrorum hostium  
turba confinia regni pulsaverit, illis et  
eorum audaciae sic potenter et viriliter obsistatur,  
quod doleant se in ultramontanis partibus  
sua in pace non fixisse vestigia, lugeantque  
finaliter Italiam petivisse, et qui manus poterunt  
copiosae nostrae gentis effugere, confusi  
more solito, si valeant, retrocedant".

Cap. XXII

Verbis Manfredi omnes assentunt: plerique vero ipsum  
deinde produnt. Is tamen nuntios statim in  
Alamanniam, duo millia equitum quae situm, mittit.  
Postquam igitur rex Manfredus astantibus turmis  
votum totaliter suaे mentis aperuit, et propositum  
sui cordis fando depromsit, universi collocutioni  
regiae annuunt; divisoque parlamento,  
et quibuslibet ad propria redeuntibus, sub eo colore  
maxime, ut contra venientes Gallicos unusquisque  
se praemuniat, secundum suaे potentiam  
facultatis, jam promissa fides comitum violatur  
interius, jam terrefactus regnicolarum animus  
incipit dubitare. Sed hos sola imbecillitas animi,  
ac mentis falsae perfidia, et non metus, violatores  
debitae fidei faciebat. Nondum enim quemquam  
timere poterant; sed ejus formidine, quod  
verebantur accidere, et futuri casus praemeditatione  
perterriti, tractatum per nuntios tam cum  
comite Provinciae praedicto, quam cum apostolica  
sede dolosius ineunt, et eorum vota comitis  
ejusdem beneplacitis nuntiorum, et literarum  
multiplici destinatione confoederant, ac ipsius  
mandatis se placida significatione coaptant. Rex  
tamen Manfredus in Alamanniam post haec pro  
duobus millibus equitum, quibus pro sex mensibus  
stipendia duplicata transmiserat, cum multa voluntatis  
anxietate nuntium praepetem destinavit.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS[Page 245]

INCIPIT LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM

Karolus Romae in divi Petri ecclesia a quatuor cardinalibus

Rex Siciliae coronatur: inde ludus festisque  
dies consequuti sunt: cumque Galli omnes eodem  
convenissent, iter in regnum parant.

INTEREA Karolus in basilica principis apostolorum,  
apud Urbem, per quatuor cardinales,  
illuc per dominum Clementem agentem apud  
Urbem-Veterem propterea destinatos, in regem  
Siciliae delinitur, et regali, prout moris est,  
diadematè coronatur. In cuius coronatione memoranda  
solemnitatum festa sunt facta, et nova  
gaudiorum tripudia festivaque solemnia celebrata.

Ludunt enim more, quo supra, generaliter  
omnes equites, maxime nobiles Romanorum.

Ac quilibet, secundum quod ei bonorum temporalium  
plus copiae suppetit, distinctius vestitus,  
et certa equitum comitiva uniformiter sociatus, per  
diversa tripudiantium agmina pomposius et superbius  
se ostentat, et celebriora constituit illius  
diei gaudia, ut tantae rei negotium memoriter  
effluat et perenniter memoretur. Jam Gallicorum  
post haec superveniens multitudo circumfluit,  
jam totus regis Karoli expectatus exercitus Romam  
venit. Veniunt quidem inopes et laboribus  
oppressi, ac ex ipsis plurimum fatigati. Unde  
ob hoc promptitudo fatigatorum spirituum quadam  
appetitus violentia illos ad bella celerare  
compellit, et verbo ac opere acerbiores eos efficit  
et ad amicitias tardiores. Propter quod vel extingui  
celeriter anxiant in propria furia, vel,  
caedis occasione, aut sperati auri copia saturari,

aut praedonis more furari amplio voto cogitant  
et affectant. Contrahunt erga, tam ipse  
rex Karolus, quam alii majores de suo exercitu,  
mutua, quae mercatores romani pro eo liberalitate  
quadam ultronea mutuabant, quod sperabant  
in regno Siciliae solitae libertatis immunitate  
gaudere, prout et ipsi Gallici promittebant.

Cap. II

Karolus rex quamplures exules gebellinos, atque  
ex his Petrum de Romano, revocat.  
Reconciliantur insuper per regem Karolum  
quamplures gebellini romani, quibus regressus  
ad Urbem fuerat interdictus; et, ad ejusdem regis  
gratiam cum quadam promptitudine redeuntes,  
benigne per regiam clementiam admittuntur. Ex  
quibus Petrus Romani jamdictus, qui regis ejusdem  
quondam persequebatur honores, nunc  
majestati regiae devotus efficitur, et ipsius fidem  
promptius profitetur. Hic sane, ut idem  
rex de suae fidei conversione pignora certa reciperet,[Page 246]

contra Manfredum in regnum cum Gallicis  
ultra se offert iturum.

Cap. III

Karolus regnum petit. Beneventi Manfredus consistit,  
atque sese munit, duoque millia Sarracenorum  
in Sancti Germani castrum mittit. Karolus regnum  
ingreditur.

Profecto, quia exercitus nescit esse jejonus,  
modica suppellex, rerum penuria, et parentia  
pecuniae Gallicos instantissime impellebat ad  
regnum. Sicque rex praedictus, a cardinalibus  
supradictis suscepta cum devotione omnium venia  
peccatorum, quam sibi cardinales ipsi auctoritate  
summi pontificis poterant indulgere,  
versus Ceperanum, ubi fluvius quidam regni et  
Campaniae confinia dividit et distinguit, avida  
voluntate festinat. Cardinales vero praedicti extra  
Urbem tantum regem traducendo comitantur  
euntem, ibique juxta formas ipsum alternatim  
pacifice osculantes, et demum crucis eum  
signantes signaculo, abire licentia data permittunt.  
Pater tamen ille magnificus dominus Richardus  
Sancti Angeli diaconus cardinalis, natione  
romanus, usque ad castrum Molariae, quod  
idem cardinalis proprio impenso peculio pro  
sua et suorum perpetua hereditate quaeaserat,  
regem conductit eumdem. Manfredus vero, qui  
status sui hujusmodi ventura flagella praesenserat,  
velut in extasi ac alteratae mentis involucro  
positus, ignorans quaerit protinus ubi venientibus  
hostibus se opponat, ubi etiam eis obstacula  
praeparet, ubi obsistat eisdem; et, dum ad resistendum  
praerupta fluminum flagitat, quae, per  
se fortia obstacula facientes, hostes in oppositum  
constitutos non patiantur sine magnis viribus  
manualiter jungere, nunc Capuam, nunc Ceperanum,  
et tandem Beneventum festinis discurrendo  
congressibus repetit et revolvit: quamlibet  
enim terrarum hujusmodi alta fluminis ripa  
fortificat et roborat agens profundi defossum. Sed  
praescitus ad malum obstinatus corde Manfredus,  
cum debuisse apud Ceperanum copiosae gentis  
suae resistentiam ordinare, passus regni vacuos,  
et sine custodum per vigilum munitione reliquit,  
ita quod liber ad regnum patebat aditus inimicis.  
Verumtamen in castro Sancti Germani duo  
millia Sarracenorum et mille equites jussit pro  
tuitione morari. Sicque rex Karolus cum victorioso  
exercitu regnum sine obice liber ingreditur.  
De cuius amoenitate laetitia jam nova respergitur,  
junque gaudio votivo completur. Propter  
quod diem quamlibet sibi pro anno computabat  
effluere, donec resistentium adversariorum posset  
facies intueri.

## Cap. IV

Rocca-Arcis expugnata, magna capta praeda,  
 Karolus Gallique ad castrum Sancti Germani quam  
 celerrime proficiscuntur.  
 Venit rex Karolus ad quoddam inexpugnabile  
 castrum, quod sui altitudine aliquid commune  
 videretur habere cum superis, appellatum Rocca-Arcis  
 a vulgo. Hac enim rocca, quam ru  
 pes montuosae circumdant, et quasi de medio petrarum  
 concissam saxosa montium praerupta  
 convallant, vix posset fortior inveniri. Hanc  
 gallici pedites, quasi lene quid esset, miraculose  
 descendunt, ad quam, nisi novas alitum mutarentur  
 in formas, aut lacertos haberent monstruose  
 daedalica fictione pennatos, vix crederentur  
 posse per longa tempora devenire. Sed  
 demum, omnipotentia divina volente, castellanus  
 ejusdem roccae, violentis perterritus Gallicorum  
 insultibus, et p[ro]ae multitudine copiosi exercitus  
 castrametantis per castri circuitum stupefactus,  
 personae veniam imploravit. Cui mandatis regis  
 Karoli coacta quodammodo voluntate parenti,  
 rex ipse misericordiam in persona castellani  
 ejusdem benignus indulxit, et mobilium rerum,  
 quas habebat in castro praedicto, omnimodam  
 pius tutelam promissam inviolabiliter conservavit.  
 Fama itaque deferente per regnum quod gentes  
 ultramontanae tam fortissimum et quasi inexpugnabile  
 castrum belli subjugarant insultu,  
 quaelibet universitas vicinarum terrarum quanto  
 se debiliorem minusve munitam esse putabat et  
 debilis poterat ab insultibus se tueri, tanto magis  
 titubat diem expectare supervenientis insultus.  
 Unde quaecunque civitas, seu castrum, casale,  
 vel burgus, sita sunt usque ad valvas burgi  
 Sancti Germani praedicti abjurato Manfredi  
 dominio, et regis Karoli mandatis devote parendo,  
 signa subjectionis et fidei ultiro voce profitentur  
 et opere. Cumque disciplinam servare nesciat  
 jejonus exercitus, et, si non habeat unde emat,  
 cogitur cogitare quod auferat, cumque etiam,  
 cogente necessitate, quae non diligit aut non sequitur  
 moderamen, quod deest, quasi licenter  
 praesumat armatus; jam praedita loca sub ipsis  
 plurimum propterea dubitantia famelicis et fatigatis  
 Gallicis de suorum victualium foecunditate  
 subveniunt. Jam quaeque praetiosa, de more,  
 pro libertatis commodo assequenda, regi offerunt  
 et militibus regis. Sed haec modica pars regni  
 nec tanta nec tam abundans erat, aut esse poterat,  
 quae de sua quantacunque substantia replere  
 posset vacuum Gallicorum, seu eorum resarcire  
 penurias, vel anxietates appetentium extinguere  
 voluntatum. Qua de re habitus ex suorum  
 laborum primitiis modicus iste triumphus, succendentibus  
 aliis eis, ut videbatur, ad votum,  
 Gallicos vigorosiores, et magis voluntarios efficit  
 ad spolia, magisque ad hostium excidia provocavit.  
 Ac, velut austur, quae jam firmatis plumis  
 de firma suscipitur, ad capiendos teneros

[Page 248]

perdicum aestivo tempore pullos, quos debilis volatus  
 nondum defendere rapacibus valet ab unguis,  
 per doctum aucupem provida instructione  
 dirigitur, captaque praeda tenera, ipsiusque sanguine  
 praegustato, deplumare jam didicit, efficitur  
 postmodum magis rapax, et magis avida  
 in volando; Gallicorum non aliter naturata complexio,  
 quae per se multa ferocitate suffulta sine  
 metu mortis infert et recipit exitiales jaculorum  
 ictus, ad lethiferas illationes acceditur,  
 et tam praemature, tam feliciter capta votiva  
 praeda, et deliciarum regni praegustata dulcedine,

ad reliqua spolia, tanquam praedo securus,  
ducitur, et ad violentias excitatur. Hujusmodi  
ergo primordialis successu felicitatis accensi, ad  
castrum Sancti Germani, ubi magnam partem  
resistentiae opponendae credebant invenire, propere  
nimis pergunt. Verum cum omnes machinas  
nobilium Urbis, quae alias dicuntur vulgariter  
Trabucheti, quarum suffragio uti consueverunt  
Romani in obsidione castrorum, secum  
fecisset rex Karolus per curruum multitudinem  
deportari, apud Sanctum Germanum, quasi  
non sint ultra necessariae, de curribus deponuntur,  
et currus pariter et aurigae subsistunt. Ex  
aurigis tum curruum praedictorum erant pauci  
superstites, pro eo quod pridie apud casale Barranerii  
habito inter ipsos aurigas et quosdam  
equites gallicos deputatos ad machinarum ipsarum  
custodiam manuali conflictu, plusquam centum  
ex ipsis aurigis pro verbis levibus Gallorum  
gladio perierunt. Iis autem machinis non est opus  
ad insultandum contra eos, qui Sanctum Germanum  
defendere credebantur, nec aliis similibus  
generibus oppugnandi. Nam quanto animosa  
invalescebat denuo audacia Gallicorum, tanto  
amplius regnicularum imbecillis pusillanimitas  
expavebat auditu solo gallicae feritatis et inhumanis  
Ultramontanorum operibus terrefacta.

Cap. V

Galli, post atrox proelium, Sancti Germani castrum  
capiunt; magnaque Sarracenorum caede perpatrata,  
usque ad Beneventi moenia actos in fugam insequuntur.

Insultum

manualis pugnae juxta muros burgi  
ad portam, quae est a latere fluminis, totus regis  
exercitus ferventer incipit et attentat; et, quia  
Latini de more plusquam Gallici, et industrius  
etiam, consueverunt impugnationes castrorum  
gerere ac movere, nonnulli nobiles citramontani  
corporis et animi virtutes et vires cum quodam  
anticipato fervore moliuntur ostendere in ipso  
impugnationis insultu: inter quos Petrus Romani  
Romanorum proconsul saepedictus, cupiens  
regis ejusdem gratiam redimere meritis, quam  
apud eum quondam demerendo perdiderat, locum  
et horam pugnae cum quibusdam commilitonibus  
suis anticipans, ipsius burgi muris  
absque metu discriminis imminentis se confibulavit[Page 249]

impavidus. Sicque ipsum jactus innumerabilem  
lapidum, quos emittebant illi, qui muros  
tuebantur eosdem, adeo usque ad medium corporis  
partem obsedit, quod nullo modo sine compugnantium  
succursu poterat se mouere. Eum  
tamen quasi perditum Latinorum et Gallicorum  
succurrentium promptitudo a periculo imminentे  
praeripuit. Ex cuius audacia ii, qui aderant,  
corda fortificantes et animos, incoepitumque viriliter  
continuantes insultum, ita fortiter dimicarunt,  
quod per vim et metum qui cadere poterat  
in constantes, fugatis murorum defensoribus,  
portam occupaverunt praedictam. Sarraceni autem,  
et alii, qui pro ingenti exercitu per Manfredum  
ad custodiam passus Sancti Germani fuerant  
destinati, tum insultum urgentissimum intuentes,  
et majorem illo longe mentis oculo pavide  
contemplantes, se fugae praesidio commiserunt,  
cum non ad resistendum, sed ad fugiendum potius,  
ex timoris deliberatione concepti continuo  
se pararent. Sed iis fugae cooptae remedium usquequaque  
non profuit. Nam majorem partem  
Gallicorum gladius sine misericordiae venia trucidavit.  
Occubuerunt inibi sine numero Sarraceni,  
quibus non parcebat Gallicus nec Latinus;  
ipsorumque corpora, quae, praे vulnerum confusione  
crudelium, in campo discerni non poterant,

in escam rapacium animalium jacebant  
exposita super terram, et famelicis avibus derelicta.  
Nonnulli tamen manus gallicas evadentes,  
fugamque continuantes usque Beneventum,  
ubi Manfredus cum magno Theutonicorum, Lombardorum,  
Regnicolarum, et Sarracenorum etiam  
exercitu aderat, de strage hujusmodi miranda  
et terribilia retulerunt. Cumque felix denuo successus  
et votiva Gallicorum prosperitas cresceret,  
eo ipso ipsorum invalescebat audacia, et augmentabatur  
voluntatis anxiae promptitudo. Unde,  
quolibet sublato quietis et morae diffugio, ad  
Manfredum venire desiderant amplio voto. Ideoque,  
cum Manfredi militibus configere anxiantes,  
adversariorum reliquias, quos in dicto conflictu  
eorum nequaquam gladius apprehendit,  
usque fere ad valvas civitatis beneventanae non  
cessant insequi actu continuo et impulsu. Et, dum  
nec sibi nec equis parcunt, qui erant prae longo  
itinere fatigati, omnino quasi deficere videbantur.  
Sed tanta erat spoliorum aviditas, succendentibus  
eis undique prosperis, quod totius laboris et discriminis  
onera levia reputabant.

Cap. VI

Rex Karolus suos ad pugnam hortatur.  
Postquam igitur Gallici, continuis defecti laboribus,  
et velut arcerius siculus, qui de mane ad  
vesperas damum sequitur, fatigati, ad quandam  
campum terrae Beneventi adveniunt, in quodam  
colle, qui respicit ex oppido civitatem, quem  
tantum alveus fluminis ab ipsa terra sejungit,  
figunt accelerata vestigia. Dumque in ipso colle [Page 250]

taliter sunt castrametati, aliquandiu sub quiete  
subsistunt. Rex Karolus inquietus omnino per  
circuitum, sicut aper discurrendo continuo motu  
frendens, nonnullos ad perpetuam rei memoriam  
militari cingulo decoravit, ut singuli magis animarentur  
ad bellum. Sed, dum sic terribilis discurrebat  
per castra, clamore quasi continuo has  
voces Gallicorum catervis per medium exercitum  
emittebat: "Hic clarius apparebit, quales hic gallici  
milites, et si in societate nostra est aliquis  
bonus miles, qui militiae velit honorem". Sane  
post primatibus exercitus congregatis juxta regis  
tentorium in loco campi, ubi qui voluit potuit  
interesse, iis, (eos rex Karolus verbis alloquitur).  
"Scitis certissime, domini milites, quod de  
loco isto in Franciam longos habet fuga protractus.  
Ut pugnemus deliberato animo venimus.

Si, quod absit, hostibus succumbamus,  
sine spe misericordiae moriemur. Fugae praesidium  
nullum tutelae compendium nobis impenderet,  
nullumque vitae patrocinium superesset.  
Nam, etsi gentes, per quas venimus,  
nos venientes hoc honorabiliter tractaverint, et  
reverenter impenderint nobis gratum multipliciter  
obsequii famulatum, tamen, si redire fugiendo  
compererint, statim eorum animi proculdubio  
quadam contra nos consueta aemulatione  
convertentur in pravitatem quaesitam,  
et nos usque ad interitum perseverentur. Resistamus  
ergo viriliter, et pugnemus audacter,  
ut vel omnes una hora concludat, vel speratum  
triumphum ex hostibus consequamur. Tolerabilius  
est enim mori, quam fugere. Fuga namque  
multiplicis mortis, inter odientes maxime,  
lethifera discrimina secum habet. Nos quidem  
confidentius possumus dimicare, quam hostes.

Cum enim adversarii, quos anathematis et excommunicationis  
sententia perculit, sub illius  
nomine, scilicet Sathanae, cuius manibus per  
sententiam sunt sedis apostolicae mancipati,  
cum aeternae vitae desperatione configant, nos  
solum sub illius celebritate vocabuli, qui pro

nobis usque ad interitum pati voluit, et affligi,  
cum spe, immo cum certitudine misericordiae,  
ab ipsis vicario peccatorum omnium obtenta  
venia, concertamus. Reddite igitur vos cautos,  
sollicitos, et attentos, ut, cum ad pugnam,  
quam non possumus evitare, veneritis, potius  
equos, quam homines, offendatis, feriatis et  
cum gladii cuspide, non cum acie, ita quod,  
equis hostium vestris ictibus succumbentibus,  
nostrorum peditum prompta manus sessores equorum  
taliter prostratos ad terram, et prae  
armorum gravedine lentos liberius excipiat et  
trucidet. Reguletur et aliter in primo conflictu  
probitas vestra. Singuli milites singulos juxta  
se pedites habeant, aut duo quilibet, si valeat,  
etiamsi non possit habere alios, quam ribaldos.  
Hos enim tum pro interficiendis equis hostium,  
tum pro conterendis iis, qui excutientur ab  
equis, experientia pugnae valde necessarios et [Page 251]

utiles esse probat. Nostri quidem, prae labore  
continuo extenuati macie, non sunt adeo potentes  
et fortes, quod, nisi cum hostibus tempore  
pugnae sagaciter vos juvemus, valeant cum  
equis ipsorum hostium pari labore concurrere,  
et longa cum eis in bello, si expediatur, mora  
durare".

His igitur regulis omnibus generaliter praemunitis,  
quilibet gallicus, velut canis domini sui  
vocibus in venationibus excitatus ad praedam,  
campum voluntario passu circuit, et, dum quaerit,  
quid devoret non inveniens, cibum anxius,  
sicut famelicus catulus leonis, expectat.

Cap. VII

Quamplures exilio affecti barones, rege Karolo favente,  
regnum repetunt. Incolae animi pendent.

Uterque exercitus ad proelium se comparat.

Interea nonnulli barones regni, quos, propter  
suspitiones forte, aliasque causas, factos a regno  
exules aliena diu foverat patria, castra et terras  
quamplures, quarum dominium justus titulus dabat  
eis de ipsis regis Karoli licentia, quam in

ipso ingressu regni obtainuerant ab eodem, per  
diversas regni provincias sine bello recuperant.

Propter quod regnicolarum corda coeperunt intra  
se nutare non modicum, et contra Manfredum  
corrumphi ac gaudere generaliter populares.

Credebant enim quod regnum jam esset votivae  
tranquillitati paratum, et ex adventu regis Karoli  
libertati omnimode restitutum. Dum igitur  
trepidant usquequaque regnicolae robore nullo  
firmati, parantur hinc inde belli discrimina, et  
exercitus quilibet ut fortius et robustius dimicet  
se accingit.

Cap. VIII

Manfredus, postquam suis colloquutus est, pugnae  
diem statuit: at a multis proditus derelinquitur.

Manfredus, qui semper de instabilitate ac voto  
contrario, varioque affectu illorum de regno merito  
dubitabat, accersitis comitibus, et baronibus,

ac aliis nobilibus, qui secum aderant Beneventi,  
hos in generali colloquio sermones eructavit:

"Hostes nostros, quos jamdiu famae acclamatio  
praenuntiavit contra nos esse venturos,

videtis in oppositum existentes. Sed, per Dei  
gratiam, tantos et tales esse visio vestra non  
judicat, quantos et quales fore fama referente  
credidimus. Malos, inquam, equos, macilentos,

et utplurimum parvos habent; et, si habeant  
alios magnos equos, extenuati prae

labore nimio parum valent. Igitur, dum sic sunt  
laboris fatigione confecti, priusquam quaesita  
requie convalescant, et aliquo fortificati otio

invalescant, properemus conflictum, et cum eis [Page 252]

in media arma ruamus, et, si inevitabile fuerit,  
moriamur. Gallici enim in primo instanti videntur  
audaces; sed nec sunt stabiles, nec habent  
durabilem animum neque fortem: immo  
sunt omnino plus, quam credi valeat, pavidi,  
quando inveniunt oppositionis resistantiam aliqualis.  
Sed o bona posteritas! memoremur nostrorum  
gesta praeteritorum. Nonne Ausoniae  
gentes istas priscis temporibus vilissimas reputabant?  
nonne hos, et alios ferociores populos,  
propria potentia conquirebant Italici, et eorum  
mero dominio multifarie submittebant? Fortiores  
quidem sumus patribus nostris, et majori  
etiam personarum et rerum potentia praediti.  
Quid ergo veremur, quid formidamus? certe  
nihil aliud cogitemus, quam in exterminium  
hostes adducere, ac eos a facie nostra delere".  
His et aliis verbis Manfredus Gallicorum mores  
et facta vilificans, suos viriliter animabat.  
Sed quidam de comitibus suis, juxta magnitudinem  
cordis aut imbecillitatem animi naturalem,  
vel simulatam, nec non secundum quod magis  
minusve fidelitatem Manfredo servare intra se disposuerat,  
voluntatem tunc suae mentis aperuit,  
et suadebat vel dissuadebat pugnam, secundum  
quod virtus propria vitiumve debilis animi suggerebat.  
Verumtamen Manfredus de hora conflictus  
consilio cuiusdam astrologi regebatur. Unde,  
cum jam deliberatione praehabita compertum  
esset per artem, quod felici omni tali hora bellum  
poterat Manfredus cum Gallicis inchoare,  
quidam ex comitibus ipsis, proditoria machinatione  
corrupti, et obstinatione nequissima mentaliter  
violati, sibi displicere si Manfredus pugnet  
tunc cum Gallicis confingentes, et praetendentes  
animo simulato commodum fore solum ipsius  
Manfredi, si tunc maxime proelium evitarent,  
dignato spiritu Manfredum et ejus exercitum  
dimiserunt. Quidam etiam nobiles, quos  
idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat cum  
aliis evocari, sumpta causa, vel occasione potius,  
quam querunt volentes recedere ab amicis, in  
locis propriis remanserunt, ultimos successus morantes  
potentiae utriusque. Sed qui pares censeri  
poterant in crimine Judae furis, simulabant se  
ad terrarum suarum custodiam remanere.

#### Cap. IX

Manfredus fideliorum sibi secretum habet concilium,  
qui operam suam ei pollicentur.  
Inter haec Manfredus cum comitibus suis lombardis,  
scilicet Galvano, Jordano, Frederico,  
et Bartholomaeo, et cum quodam domino Theobaldo  
de Aniballis cive romano, secretum init  
consilium, et ab eis, ut prudenter ac intrepide  
statim intendant contra hostes irruere, sciscitatur,  
ac quid de attentanda pugna videatur eisdem  
diligenter interrogat et exquirit. Hi sane,  
cum essent homines bellicosi, quibus aliquando  
famosus triumphus ex bello successerat, et fortuna[Page 253]

prospera in eorum plerumque sibi primitiis  
arriserat, quodam motu voluntario regebantur,  
ut animo videlicet, plusquam viribus confidere  
crederentur, et furore plusquam virtute se vincere  
posse sperarent. Unde viva et promta voce admirantes  
quodammodo de eo, quod Manfredus,  
eorum jam in multis probitatem et fidem expertus,  
ab eis, quasi dubius, indagabat, ajunt ad  
Manfredum: "Et si statim nos oporteat mori  
tecum, non te negabimus. En personam tuam  
principaliter, ex cuius vita et obitu nostrae  
felicitatis subsistentia et ultimus infelicitatis  
dependet occasus, e vestigio sequimur; et te nihilominus  
feliciter vivere, nosque sub militaris  
honore fortunae fideliter pro te mori, si contingat,

volumus et optamus. Et, ut fidem, quam pro defendenda regalis nominis libertate congerimus, testificantur opera nostra, statim primus in hostes, si placeat, noster erit aggressus".

Cap. X

Luceriae Sarraceni proelium subito cum Gallorum ribaldis ineunt, qui, primo cedentes, a servorum agmine deinde adjuti, illos repellunt; sed, a comite Jordano suisque simul petiti, rursus cedunt. Quum interim in universae dimications casum venissent, jamque Galli essent victuri, Manfredus una cum Theobaldo Anniballis in medium proelium irruit, ubi interimitur. Galli plenam victoriam referunt. Cum in hujusmodi voluntatum examinatione persisterent, et militiae agmina, necnon et agminum praepositos recenserent, clamor in aethere tantus insonuit, quod, sicut fertur, usque ad Aliphium ventus impulit crepitantia per aëra vocum murmura, et veluti cum freta fervent valida ventorum concita tempestate omnium, de contrata perstrepebat auditum. Sarraceni namque de Ligeria, qui non aliis armis, quam arcibus sunt accincti, numero forsitan decem millia, fines furiose transgredientes mandati, quibus nondum aggressus erat indictus, dum sic cogitant Gallicos arcuum percutere missilibus, quod postea Theutonicis et Lombardis ad expugnandum Gallicos ipsos nullius vel modicae difficultatis ultra parari posset obstaculum, veniunt citra flumen. Sed Gallicorum ferocitatem eo plus concitant, ignemque magis gallici furoris accendunt. Quo militum magis cohortibus appropinquant, clamant de more, ac, credentes Gallicos vocibus perterrere, clamore continuo invalescunt. His occurunt primo ribaldi, qui gregatim de Francia venerant, et, comperto quod Sarraceni erant, qui contra exercitum Gallicorum cum clamoribus festinabant, clamitant et ipsi dicentes: "Porci ne sunt isti, qui contra nos cum tanto clamore descendunt?" Propter quod inermes quod absque magistri conductu relicta solita conciti furia velut autumnales sturni, quando in multitudine nubifica de loco moventur ad locum, Sarracenorum [Page 254]

turmae obviant venienti. Verum Sarraceni, de more, prius quam se jungant manualiter hostibus, ex pharetris tela promunt, et sagittantes subito ribaldo sine numero sauciant, emissaeque plus, vel minus, prout ex lacertis fortioribus prodeunt post terga sagittae, serpentis ad instar sibilant inter siccas stipulas et vimina gradientis, feriuntque inopinate ac irremediabiliter ex hoc in illum, velut fulgura super terram. Et, dum frequentius emituntur, nonnullae in diversis corporum partibus violentiae subsistunt; modoque in capite, modo in facie geminae residentes, nova cornua configurant; ac, affixae circum pectus et scapulas, siccios ramos aut extraneos propaginum palmites mentiuntur. Recipiunt hujusmodi figuratos ramos innumerabilia corpora ribaldorum, ac prostrantur innumeri: et velut greges ovium in campis Apuliae, quando derivatum de Dalmatiae montibus boream patiuntur, caduco quasi morbo confectae, simul et subito in multitudine concidunt moriendo, non aliter ribaldorum infinitas, quorum casus parum vel nihil regis Karoli laedebit exercitum, redditur ex sagittis frequentibus exanimis et expirans. Milites autem gallici, stragam ribaldorum tam subito pereuntium factam dolentes, et verentes ne Sarraceni ex hujusmodi primitiae stragis gloria sumant vigoris audaciam contra eos, et fortius invalescant, quandam aciem equitum servientium ribaldis deputant subventuram, quae Sarracenos adhuc vociferantes in campo exeat

congressura. Irruunt igitur in Sarracenos praedictos  
servientes equites, numero forte mille,  
qui tam fortiter, tam aspere Sarracenorum aggrediuntur  
multitudinem debacchantem, quod,  
Sarracenorum ipsorum universaliter mortificatis  
artibus et lacertis, immo quodammodo singuli  
facti exanimes, solo metu se ipsos, nemine  
adhuc percutiente, prosternunt, facti sunt velut  
passeres, quando milvus in eos ab aëre inopinatae  
dilapsus insiluit, ac sicut aves gregales, quas  
audax aquila de coelo subito corruens super eas  
in arbore considens obsedit in nemore. Trucidantur  
ergo canes, ac eorum corpora, quae gallicus  
gladius sine pietate aliqua trucidabat, sicut venales  
carnes carnificum laniata canibus relinquuntur  
et avibus super terram. Ad haec comes  
Jordanus, ab experto promptus et audax, cuius  
aliquando fortuna juvit audaciam, non expectata  
deliberatione Manfredi, statim cum mille  
Theutonicis prosilivit in campum, et, dato signo  
inter comedabulorum catervas, bellum fortissimum  
cum illis servientibus gallicis inchoavit. Hi  
quidem servientes ex multa Sarracenorum occisione  
plurimum fatigati, cum etiam non essent  
tales, aut equis talibus insidentes, quod occurrentibus  
Theutonicis possent obsistere, perditio bello  
succumbunt, paucique possunt Theutonicorum  
manus effugere. Omnes enim fere theutonicus gladius  
devorat, omnesque, abjecta misericordia,  
lacerat et trucidat. Erant namque mille  
Theutonici quasi melior pars exercitus totius[Page 255]

Manfredi.

Hoc autem rex Karolus intuens, tremens et  
furens, ut ferox animal provocatum, modo personaliter  
in Theutonicos volebat irruere, modo  
usus saniori consilio subsistebat. Tandem vero  
banneris ordinatis, et magistris militiae, ac  
praepositis agminum stabilitis, Theutonicos,  
qui campum jam vicerant, mille milites suos  
electos jubet invadere. Fortes igitur contra fortis  
fortissime irruerunt; sed, Theutonicis finaliter  
succumbentibus, assunt Galvanus, et Bartholomaeus,  
et plures alii comites associati Lombardis,  
Theutonicis, ac aliis, catervatim bellum  
subintrant, et configunt durissime et aspere  
quantum possunt. Belli sic durante conflictu, et  
ex utraque parte deficientibus multis, quos vel  
labor, vel gladius comprimebat, rex Karolus  
aliam comitivam in conflictum tam fortissimum  
edicit ituram. Haec quidem bello superveniens  
comitiva fortificavit adeo pro parte regis Karoli  
bellum, quod omnino visi sunt Galici praevalere,  
immo protinus praevalebant. Ah! ah! Manfredus,  
praedestinatus ad malum, totam pugnam  
pugnaeque modum oculis intuetur corporis, et  
corde animoso dijudicat; jamjam, omnino volens  
irruere, denuo sollicitus et attentus, sicut leporarius,  
quem tenet venator, sollicitatis bracetis  
per excubias nemoris lassiatum fremebat, anxiabatur  
agredi bellum. Mandat caeteris capitaneis  
et praepositis sui exercitus, quod illoco descendant  
ad pugnam. Sed, cum nonnulli de regno,  
qui quosdam falsos comites, cum quibus miser  
Manfredus sub colorato patrimonialis successionis  
titulo diviserat regni spolia, sequebantur, ingredi  
noluisser bellum, sed proditorie abscessissent,  
Manfredus cum reliquis mori potius eligens,  
quam quod suis morientibus alienam profugus  
terram petat, quasi desperatus cum praedicto  
milite romano domino Theobaldo, qui eum  
e vestigio sequebatur, et in quantum poterat suadebat  
quod omnino statim aggredierentur bellum,  
et suis, qui pugnabant, cito succurrerent, ut vel  
omnes suos, quos unus jungebat affectus, una hora

unusque gladius devoret vel exaltet, inimicorum  
suorum ruit in medium, pugnat, percutit,  
percutitur, et expugnatur, proh dolor! a suis sic  
proditus. Invalescit ergo violentia Gallicorum,  
circumeunt agmina totum campum. Nulli parcit  
Gallicus, sed singulos necat et trucidat immaniter  
gallica promptitudo. Lavat saevitia manus  
victrices in sanguine occisorum. Verumtamen  
quamplures, attendentes tantam in Gallicis inhumanitatem,  
quae nec prostratis parcebat, nec  
miserebatur captis, demergi potius eligentes in  
flumine, quam sic sine misericordia trucidari,  
armati cum equis in ipsius fluvialis ripae praecipitum  
promergebant: propter quod eos, quos  
non attigit gladius, flumen absorbuit et submersit.[Page 256]

#### Cap. XI

Magnae cladis imago.

Facta est igitur pugnantium tanta strages,  
quod in campo pugnae, quem omnino tegebant  
corpora occisorum, aliquid vacuum non remansit.  
Equorum corpora super hominum cadavera  
quiescebant. Vix cadaver integrum poterat inveniri,  
cum jacerent singula magnorum ictuum  
violentia mutilata, starentque sine figura propria  
indistincta corpora diversorum.

#### Cap. XII

Beneventanae civitatis depopulatio.

Rex, inquam, Karolus, qui nondum de Manfredi  
obitu certus erat, post devictum bellum statim  
civitatem beneventanam grandi triumpho  
victoriosus ascendit, et spolia pretiosa, quae diu  
anxie affectarat, magis anxie complexatus, perfusus  
undique gaudio gazas innumeratas comperit,  
et laetabundus excipit praetiosa nonnulla, quae  
non solum Manfredus in suo gazophilacio congregarat,  
sed et Corradus frater, et Fredericus  
ejus genitor in non modica congesserant quantitate,  
ac ex diversis veteribusque thesauris compositis  
monstruosis acervis idem Manfredus adunarat.

Nihilominus tamen rex, quem faciebat  
sola rerum indigentia et diuturna penuria sitibundum,  
thesauros multorum comitum intactos  
reperit et recondit. Replentur et ditantur undique  
Gallici; nec tamen sitis extinguitur, aut insatiabilis  
repletur esuries eorundem. Non enim  
solummodo spolia hostium occisorum sua faciunt  
occupando, sed et civitatem miseram Beneventum  
sine personarum acceptione disrobant, et, quod  
pessimum est, innocentes incolas caedunt, et inventis  
inibi exteris non indulgent. Continua  
caedes jugiter fit; et quanto magis caedunt Gallici,  
 tanto majori ad cedendum furia concitantur,  
magis ardent Beneventanos adducere singulos  
in exterminium et in praedam. Sed, oh tantae  
crudelitatis impietas, oh immanis saevitia  
praeter humanam naturam, immo contra conditionem  
creaturae cujuslibet, quae nec parcit  
sexui, nec indulget aetati! promereri profecto  
enim credebant Gallici quod noxiun vel innoxium  
latinum poterant cruorem effundere. Oh  
utinam ad sacra dumtaxat, quae conservabant  
ecclesiae, manus execrables minime relaxassent!  
Nam, praetextu bonorum laicalium, quae  
celata sub ecclesiarum velamine, vel confusa cum  
ecclesiasticis fore putabant, res ipsas ecclesiasticas  
non expavebant eripere, et proinde ipsas ecclesias  
prophanare. En clericus, proh dolor! simul  
cum laico corruit, et indistincte omnes Latinos,  
quos furor gallicus censebat haereticos, mares  
et foeminas, clericos et laicos interemisse laetatur.  
Dolet, si videat aliquas reliquias latinas  
superstites. Et, si publice nequeant, vel modo aliquo[Page 257]

jam quiescentibus caedibus erubescat, evaginato

gladio clam exenterat occurrentem. Unde  
pauci vel nulli potuerunt evadere crudeles gladios  
bellatorum. Vox quidem ploratus et ululatus vehemens  
cum frequenti et lamentabili ejulatione  
emissa ad miserendum et compatiendum poterat  
cujuslibet audientis pia viscera commovere. Heu  
proh pudor! filius inter maternas ulhas occiditur,  
et alias in patris gremio jugulatur. Maritus  
ad pedes uxoris, et uxor interimitur juxta  
virum, nec uxor vel uxorato propterea parcitur,  
et filiis praesentibus impie saevitur in matres. Et  
utinam sororis, uxoris, aut matris miserorum  
Latinorum pudicitiam, quam impudenter ardebat,  
fuissent veriti attentare! sed haec pejora iis  
attentantes, ecclesiarum immunitate per diversarum  
illationum ausus temere violata, eos omnes,  
quos de antiqua et approbata libertatis ecclesiasticae  
consuetudine debebant dominica templa  
tueri, infra ecclesiarum ambitus fugientes saevitiose  
comprimit impetus Gallicorum. Caedes  
caesorumque praedatio vix adhuc die quiescit  
octava. Tota terra intus et extra per marginum  
spatia, et parietes etiam perfusi sanguinis frequentia  
rubricantur. Verum, propter Manfredi  
personam quamplures nobiles captos praeservat  
vivos miraculose quodammodo immoderata voluntas,  
et effraenis gallicae impetuositatis excessus.  
Qualiter enim continere gladios poterant  
qui exenterare, scindere, jugulare, ac ferrum  
in expugnatorum experire corpora meritorium  
fore putabant? Galvanus, inquam, et Fredericus,  
qui, fugae petentes auxilia, versus Aprutium,  
et Anconitanam Marchiam, clade facta, deproperant,  
Henricus etiam, qui, Gallicorum faciem  
expavescens, in Siciliam profugus applicat, nec  
non Bartholomaeus, et Jordanus, ac Petrus Asini  
florentinus, quos dirus et durus gallicus  
carcer exceperat, de Manfredino exercitu toto  
supersunt. Hos enim belli aut debellationis instantis  
felicius deglutisset eventus. Bartholomaeum  
etenim, Jordanum, et Petrum Asini, captivos  
rex Karolus ad quoddam castrum Provinciae,  
quae est dos uxoris suaे natae magnifici  
viri quandam Berengarii olim ejusdem Provinciae  
comitis, ut in ipso castro macerentur squalore  
carceris perpetui, destinavit.

### Cap. XIII

Jordanus Anglani, Bartholomaeus Simplex et Petrus  
Asini florentinus, in adversis castris captivi, a  
piccardo milite Manfredum mortuum esse audiunt.  
Rumor in castris elatus, ad Karoli aures pervenit,  
qui Piccardum comitesque mittit, ut adversarii sui  
cadaver recognoscerent, ipsumque prope Theobaldum  
inventum, post lachrymas ploratusque comitum,  
ad collapsae vetustissimae ecclesiae reliquias  
sub lapidum acervo sepellitur.  
Interea quidam miles picardus, sedens super  
Manfredi destrarium, quem ipse Manfredus pridie  
bellando consederat, praevisus ab illis supra[Page 258]

captis comitibus, et accersitus ab ipsis ex loco  
ubi comites tenebantur, idem contra morem substituit  
patienter. Ii cum lacrimarum etiam fusione  
ac singultuosis suspiriis subsistentem militem  
picardum interrogant, et ubi sit ille miles,  
cujus dictus dextrarius fuerat, quem sedebat, et  
an bello corruerit, fueritque peremptus, an captus  
vivat et valeat, sciscitantur. Ad haec, certificatus  
primo qui et quales forent sciscitatores  
hujusmodi, miles ipse respondit: "Verum est, domini,  
quod, hostium nostrorum durante conflictu,  
ecce equi hujus sessor, vocem exaltans ad  
aetera, inculcata clamoribus murmura emitendo,  
cum quodam parvo milite belli ruit in  
medium, et tam se animoso genti nostrae conjungit

animo, quod, si strenuos et fideles habuisset  
compugiles, vel majores nostrae gentis  
partem victoriosus subegisset, vel coëgisset omnes  
plurimum laborare. Occurri ego, inquam,  
militi tam animose proelium invadenti,  
et a casu et fortuna caput hujus dextrarii  
vulneravi cum lancea, quam gestabam. Ex  
hoc quidem vulnere se in altum dextrarius  
erigens, sessorem casualiter excussit ad terram,  
quem illico ribaldi exutum arma innumeris  
ictibus mallearunt. Praetiosum etiam strophaeum,  
quem cingebat, en cum isto sonipede habui  
de ipsius spoliis, et portavi". Tunc intra  
se gementes et quasi dementes audiendo facta dicti  
comites cogitabant: "Heu heu occisus est agnus,  
rex, dux et dominus noster, qui elegit  
cum suis mori potius, quam vivere sine ipsis!  
A modo vita nostra mors est dicenda, non vita.  
Oh utinam unus nos cum ipso gladius peremisset!  
" Et, haec intra se murmura intonantes, nunquam  
potuerunt ultra clamorum spiritus continere.  
Quaerunt tum et iterum a milite supradicto  
an sciret locum, ubi sessor ille corruerat; et  
respondit miles quod et locum sciret, ac hominem  
recognosceret, licet jam dies effluxerat tertius  
ab eo, quo ceciderat ille homo. "Erat, inquit,  
homo flavus, amoena facie, aspectu placibilis,  
in maxillis rubeus, oculis sidereis, per totum  
niveus, statura mediocri". Ha ha, infelices comites  
quomodo ad haec infelicia narrata non  
terrarentur! Verum, dum haec simul sollicita indagatione  
disquirunt, exiit communis et vulgaris  
sermo dicentium: "Mortuus est Manfredus,  
mortuus est Manfredus". Volavit igitur rumor ad  
regem, quod comites asseverassent praedicti,  
Manfredum fuisse peremptum bello. Jubet rex  
comites ipsos ad se venire, ac memoratum militem  
picardum, cum quo de Manfredi obitu invicem  
contendebant. Et coram rege ipso praedictis  
omnibus et singulis repetitis, mandat rex  
comites accedere cum Picardo ad locum, ubi  
Manfredum Picardus praedictus corruisse dicebat.  
Comites igitur praedicti ad locum pugnae  
recentis ducti sunt compediti, et, multis occisorum  
cadaveribus recensitis, oh oh oh cum quanta  
lacrymarum profusione compertum cadaver  
Manfredi manus trepidantes revolvunt! Pedes[Page 259]

et manus sui domini comites osculantur; vix  
possunt hoc solum dicere: "Hic est innocens, qui  
mortuus est pro nobis; hic est qui suos dilexit  
in finem". Juxta cadaver Manfredi compertum  
est corpus Theobaldi de Aniballis, qui semper  
in pugna Manfredum evestigio sequebatur. Formosum  
igitur corpus Manfredi exanime sublatum  
est de loco exitus, et ibi de prope juxta  
quamdam ecclesiam ruinosa in eodem campo  
triumphi cum gloria depositum Gallicorum,  
magno lapillorum et lapidum acervo congeritur,  
conditur, et sine tumulo taliter sepelitur.

Cap. XIV

Rex Karolus duo candelabra aurea, sceptrum, sedemque  
imperiale, auro quoque conflatam, quam Beneventi  
ceperat, ad Clementem pontificem dono  
mittit.  
Ut autem rex Karolus de copiosa et pretiosa,  
quae jam in ejus dominii cesserat potestatem,  
matrem et dominam honoret ecclesiam, et de  
primitiis laborum suorum participem faciat  
patrem patrum, et de sua venatione pater ipse  
praegustet, duos ceroferarios aureos, seu idola  
manu facta comparata candelabris, materia et  
opere, pondere quoque et arte pares, necnon facistorium  
Caesaris, sedem imperiale aurea  
massa conflatam, margaritis coruscantibus undique

circumseptam, quae diu Augusti ad laudis  
et gloriae fastigia imperialia ostendenda servarat  
aerarium, domino Clementi sanctae memoriae  
summo pontifici pro grandis et cari munera  
oblatione transmittit.

Cap. XV

Rex Karolus, generali concilio Neapoli coacto, suis  
adversariis omnibus veniam largitur. Philippum  
postea de Monteforti in Siciliam mittit, et alios  
officiales in alias regni provincias: quas omnes  
Galli depraedantur atque penitus depopulantur.  
Post desolationem beneventanae civitatis et  
successum tam grandis et tam felicis victoriae  
memorandum, rex Karolus apud Neapolim,  
quo primum post consummationem triumphi processerat,  
parlamento inito generali, omnibus et  
singulis regni baronibus, et aliis quibuscumque,  
qui nomen et omen secuti fuerant Manfredi,  
benignus indulxit. Et, ut eos ad suam fidelitatem  
alliceret, quos inimicos forsitan viribus  
et ferro subegerat, singulorum culpas abolens,  
edicto veniae generalis poenas remisit omnino,  
beneficiaque spopondit, dummodo eos de caetero  
sibi contrarios majestas regia non haberet. Et,  
volens ad tranquillandum subjugalis regni statum  
intendere, cujuslibet hostis resistantia jam  
cessante, mittit in Siciliam dominum Philippum  
de Monteforti, ac quaslibet regni provincias  
visitat per officiales et nuncios. Verum, propter  
Gallicorum multitudinem, quorum frequentia [Page 260]

singulae regni partes complentur, quaelibet  
terra sua deplorat incommoda, et quae cladis  
praeteritae non palpavit incendia, ex jugi et  
continuo Gallicorum transitu violentos incursus  
ex afflictionum jaculis offenditur imprevisio.  
Namque cum iis, qui castra sequuntur, fides et  
pietas nulla insit, naturam sapiunt ignis et fulguris,  
ut videlicet omnia, per quae transeunt,  
loca contaminent, et quos ita subito nequeunt incinerare  
subactos, ad instar ignitae materiae denuo  
partes contiguas comprehendentis adurunt.

Cap. XVI

Karolus, mores consuetudinesque regni a Gezolino  
de Marra edoctus, ipsius consilio, novos officiales  
legit, novasque vectigalia incolis imponit, qui,  
quum ab illis vehementer essent oppressi, suam  
incostantiam deplorant, et ad recuperandam libertatem  
animos convertunt.

Ad haec rex praedictus de tam glorifico triumpho  
magnificus, ut de regnicularum moribus, regnique  
consuetudinibus se informet, quosdam regnicolas,  
qui penes Manfredum officiorum administrationes  
et justitiam ministeriose concesserant,  
in sui familiaritatem advocat et receptat,  
inter quos quidam Barolanus praecipue nomine  
Gezolinus de Marra, cuius progenitores de montibus  
Amalphiae traxerunt originem, ad tractatus  
rerum domesticarum regalium familiaris admittitur.  
Hunc ratiociniorum experientia, et longa  
multarum commissionum regalium officiositas  
regi reddebat acceptam. Hic regestra proventuum  
regni, et singulorum officiorum, ac officialium,  
et per diversa ipsius regni loca particulariter  
ponendorum habebat; in quibus non solum jurisdictiones  
et jura regia, per quae felices reges,  
contenti dumtaxat eisdem, suos feliciter conservabant  
honores, memoriter erant inserta, sed  
omnes angariae, parangariae, collectae, talliae,  
daciae, contributiones, et modi exactionum innumeri,  
quibus regum nefandorum impietas miseros  
regnicalas opprimere ac necare didicerat,  
studiosius fuerant rubricati. Hujus Gezolini  
consilio et suggesta rex, quem regum praedecessorum  
suorum vitam, et vivendi modum sequi,

ac mores eorum probabiles non pudebat habere,  
legem ponet regnocolis, novosque secretos justiciarios,  
admiratos, prothoncios, et comites,  
portularios, duanerios, et fundicarius, magistros  
siclarios, magistros juratos, bajulos, judices,  
et notarios ubique per regnum, et supra  
hos majores praepositos statuit. Hi, religione  
juramenti, quod in officiorum susceptione consueverunt  
praestare, praesumtuosis ausibus violata,  
ubilibet subjectos gravant indebite, ac, eis  
importabilia onera imponentes, emungendo plus  
debito cruentum eliciunt et medullas. Provocantur  
regnocolae duris et diris oppressi flagitiis, et jam  
mente corrupta violentur interius, ac quilibet  
inter se specialis excogitata fraudis machinatione  
corrumpitur, et p[re]a novi timore dominii[Page 261]

plus nutibus, quam verbis, alter alteri tactus dolore  
cordis intrinsecus, conceptionis suae pandit  
arcana, et lamentabilibus saltem conquestibus  
suae mentis reserat voluntatem, atque, mutos volvens  
in pectore questus, semisonora ejulatione,  
quasi nesciens loqui, clamat: "O rex Manfrede,  
te vivum non cognovimus, quem nunc mortuum  
deploramus: te lupum credebamus rapacem inter  
oves pascuae hujus regni; sed, praesentis  
respectu dominii, quod de nostrae volubilitatis  
et incostantiae more sub magnorum professione  
gaudiorum anxie morabamur, agnum mansuetum  
te fuisse cognoscimus. Jam fuisse dulcia  
tuae potestatis mandata sentimus, dum alterius  
amoriaria gustamus. Conquerebamur frequentius  
nostrae substantiae partem in dominium tuae  
majestatis adduci; nunc autem omnia bona nostra,  
quod pejus est, et personas, alienigenarum  
converti videmus in praedam". Regnocolis igitur  
ubique per regnum murmurationes emittentibus  
et lamenta, nonnulli da regno ipso, haec et deteriora  
perpessi, comitibus exiticiis et baronibus  
exteris et ejectis ac profugis, necnon et universis  
in Lombardia et Thuscia gebellinorum capitibus,  
intimare procurant, de aspero et agresti  
ac importabili dominio Gallicorum.

#### Cap. XVII

Galvanus ac Fredericus Lanceae, Corradus Marinusque  
Capicii, Alamanniam petunt excitaturi ad proficiscendum  
in Italiam Corradinum; qui, ab illorum  
ac gebellinorum omnium promissis impulsus,  
litteras nuntiosque praemittit, ut proximum  
sui adventum nuntient. Corradus interim, Siciliae  
vicarius delectus, Pisas pervenit, ac, ut in  
Tunetum transfretaret, auxilium petit atque obtinet.

#### Quamplures

igitur viri magnifici, videlicet  
Galvanus et Fredericus, fratres comitis praelibati,  
Corradus Capicus et Marinus ejus frater de  
Neapoli, quibus rex predictus, ad preces B. de  
Pignatellis archiepiscopi messanensis vitae veniam  
post eventum praeteritae debellationis indulserat,  
in Alamanniam ad suscitandum catulum  
dormientem, et pullum aquilae, qui nondum aetate  
cooperat adulta pennescere, propere se convertunt.  
Ibi enim de tota Frederici posteritate solus  
Corradinus natus quandam regis Corradi ejusdem  
Frederici filii, qui tam Frederico de Stuffa,  
quam duci Austriae, ac multis de Theutonia magnis  
viris, linea consanguinitatis attinuit, tanquam  
quoddam memoriale supererat. Ad hunc  
ne vanis, licet affectivis, suasionibus excitandum  
non solum predicti exules, et alii quamplures e  
regno pervenient, sed ob omnibus gebellinis predictis  
et a civitatibus etiam imperialibus de provinciis  
supradictis, quae quandam sub devotione  
Frederici et filiorum suorum fuerant, solemnes  
nuntii destinatur, qui sibi, tanquam regi venturo,

aurum, thus offerebant et myrram, ac ei de propriis peculiis, etiam civitatum ipsarum thesauris,[Page 262]

promittentes pro expensis necessariis am pliores, non tantum ipsum, qui corpus et cor aetatis juvenilis habebat, sed alios eo maiores virtutibus, et aetate amicos et consanguineos suos, ad delitiosas et fertiles regni epulas invitarunt, quos illico illuc festinis gressibus concitavere venturos. Conflato igitur et sculpto sigillo sub regis Siciliae titulo, Corradinus per Italiam literas spargit et nuntios, et suum adventum celerem fore praenuntiat. Corradus autem Capicius de generali capitania et vicariatu Siciliae fabricatas sub ipsis Corradini sigillo literas, in quibus se regem Siciliae configebat, studuit obtinere, dicens quod ad parandas domino suo vias, et ejus in regnum citum praedicandum adventum volebat, ut praecursor, sublato morae dispendio, properare. Sicque, obtenta superioris licentia, Pisas usque pervenit; ibique totius deliberationis Corradini propositum, voluntates quoque principum Alamanniae, ac oblata per eos ipsi Corradino juvamina, voce praenuntia promulgavit. Postulat inter haec a Pisaniis aliquod per mare subsidium, quo possit ad praesens in Tunisium transfretare. Et, quia Pisani jam disposuerant prosequi factum et causam favorabiliter Corradini, concedunt Corrado praedicto unam galeam armatam, qua in Tunisium devehatur, suaequa subserviat voluntati.

Cap. XVIII

Corradus Capicius, quum Tunetum appulisset, bellum in Siciliam molitur. Fredericus atque Henricus, regis Hispaniae filii, patria expulsi, apud Tuneti regem stipendia faciunt. Henricus vero, in ipsis regis suspicionem adductus, Romam tendit, ibique regnum Sardiniae ei conceditur. Applicans igitur in Tunisium, Corradus Capicius praelibatus cum domino Frederico nato regis Hispaniae, cogitat callido, de invadenda Sicilia machinatur; factumque Corradini justificans, et suorum magnificans potentiam amicorum, oblato sibi per magnificos viros Italiae, ac confinia, loca subsidio, plusquam in re foret veritas. Praedictus vero dominus Fredericus et dominus Henricus germanus ejus, quos, propter impatientiam, quam habebant de magnitudine ac prosperitate fraterna, ejectos et absentes a propria diu patria foverat aliena, pinguia pro se ac quibusdam militibus de Hispania stipendia recipiebant a rege Tunisii, qui cotidianis cavalcatis et assidue guerrae sollicitudine angebatur per alios Saracenos. Hi sane fratres hispani, prae Sarracenorum conversatione diurna actibus Agarenorum imbuti, et, fere christianaee religionis obliiti, a Sarracenis ipsis vita parum et moribus differebant. Verum dominus Henricus a praefato Tunisii rege habitus ex sua superstitione superbia de proditoria machinatione suspectus, ad seducendam et concitandam romanam provinciam cum trecentis forte militibus de Tunisio citra inopinate convenerat: qui dum romanam[Page 263]

curiam, adhuc non praecisus ab ecclesia, sequeretur, ab apostolicae dignitatis auctoritate magnae liberalitatis et gratiae immensae dona poposcerat. Cujus nobilitatis et schematis fama adeo ecclesiae romanae ministros videbatur inebriasse repente, quod frequenter ut ei deberet de regno Sardiniae provideri conditum fuerit instrumentum in consistorio tractatum.

Cap. XIX

Angelus Capucia, Romae seditione facta, Henricum senatorem legit; qui, foedere icto cum Corradino,

adventum ejus contra Karolum maturat.  
Sed, dum quidam nobilis civis romanus, Angelus  
Capucia nuncupatus, seditionem in romano  
populo suscitasset, per quam, contra Urbis  
magnates capitaneus populi, quibusdam bonis  
viris de qualibet regione binis electis secum  
adjunctis, sub pacis specie motibus ultroneis  
est captus ex tradita sibi per dictum populum  
potestate, qua quem vellet posset eligere  
senatorem; dominum Henricum praefatum, contra  
plurium nobilium repugnantiam, et obstaculum  
etiam cardinalium aliquorum, qui jam  
aliquid de ipsius domni Henrici fraudulenta voluntate  
conceperant, ad Urbis regimen evocavit.  
Cujus vocationis solemnis, et si fuisse  
ante publicationem a pluribus impugnata, et  
multorum corda non immerito durius pupugisset,  
tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter  
ab omnibus acceptata. Venit ergo de romana  
curia factus senator ad Urbem, et, aliquandiu  
stateram justitiae sub aequitatis libra manibus  
suae potestatis appendens, tandem corde et  
voluntate perversus, via et moribus protinus regnantis  
abjectis, in arcum repente convertitur  
inopinabilis pravitatis. Guelfis quidem Urbis et  
amicis ecclesiae ac devotis in abundantia mollis  
promissi verbo tenus fellitum et venenosum  
poculum actualiter subministrat. Concipit iste  
similiter odia contra praedictum regem Siciliae,  
cui gradu attinebat consanguinitatis secundo, et,  
suorum successum felicium actibus invidens,  
quaerebat opportunitatem, ut eum per viam aliquam  
posset perenniter exterminare, vel laedere,  
aut in regni possessione turbare. Praetendebat  
enim inimicitiae causam adversus eundem  
regem se habere legitimam, et motum sui animi  
fore justum pro eo, quod eidem regi, quando  
primo contra Manfredum inops, et substantia  
tenuis veniebat, asserebat se non modicam  
pecuniae quantitatem de proprio peculio mutuasse,  
quam dictus rex, ad fortunam veniens pinguiorem,  
sibi, ut bona fide sponderat, reddere  
contemnebat. Iis contra praefatum regem, immo  
ex cordis iniquitate, ac invidia provocatus,  
Corradino in Italiam venire disposito et  
parato, se literarum et nuntiorum destinatione  
confoederat, et ei posse suum ac Romanorum  
potentiam subsidiose spondens contra regem Karolum[Page 264]

experiri, multis ipsum inductionibus ad  
celeriter veniendum reddit attentum, ostendens  
sibi mendaciter quod adventum suum citum et  
Roma et tota Italia suspirabat, et asserens ei  
gebellinorum saltem subsidia non posse deficere,  
astruebat eum omnino et infallibiliter Gallicos  
fore victurum. Ad hujusmodi igitur grandi exhortatione  
factum ac pollicitatione suggestum statim  
Corradinus, sollicitatis omnibus instantissime,  
qui ulro se promiserant venturos esse in Italiam  
cum ipso, gressus accitos magis accelerat.

Cap. XX

Neapoleon et Matthaeus Ursorum, Johannes de Sabello,  
Petrus Stephani, atque Angelus Malabranca,  
per prodicionem captivi ab Henrico fiunt; qui postea  
Johannem liberat, et magno exercitu in Raynaldum  
Ursorum contendit: sed, quum eum superare  
non potuisset, Romam furens repetit; ibique  
omnes ecclesias monasteriaque quibusque pretiosissimis  
rebus spoliat.  
Interea perfidus christianus dominus Henricus,  
vane cogitans, et attentans omnes nobiles Urbis  
guelfos una hora simul in Capitolio ad instar  
piscium, quando plures numero uno tractu retium  
capiuntur, fecit ad se praedictos nobiles proditorie  
accersiri. Cumque nobilium ipsorum alter alterius

vocationem protinus ignoraret, quamplures  
intrepidi, sed decepti, Capitolium ascenderunt.  
Sunt autem praedicti nobiles dominus Neapoleon  
et Matthaeus frater ejus de filiis Ursi, dominus  
Johannes de Sabello, Petrus Stephani, et Angelus  
Malabranca. Hos tantum, qui nihil de excogitata  
fraude praesenserant, ad vocationem praedictam  
pure et simpliciter venientes, statim dominus Henricus  
cepit, captosque jussit in Capitolio pernoctare.  
Quibus in ipso captionis initio nullam vultu  
vel gestu formam turbationis aut alicujus asperitatis  
ostendit, immo preconceptae contra eos  
fraudis pocula lenitate verborum sagaciter temperabat,  
verens, et merito, ne, propter hujusmodi  
captorum detentionem tam subitam, seditiosus  
contra eum tumultus commoveretur in populo.  
Postquam vero dictos captos verbis assecuravit  
mellifluis, et pro certo perpendit quod concitata  
propterea populi corda quieverant, ex eis aliquos,  
videlicet dominum Neapoleonem et fratrem suum,  
apud Monticellum, quod est castrum fortissimum  
prope Tybur, inibi moraturos in carcere ad suum  
beneplacitum destinavit. Et tandem, ut eos de  
stricta Urbis extraheret, eosque posset liberius  
servare, apud Sarracinescum, quod est castrum  
Corradi de Antiochia nepotis quondam Fraederici  
praedicti, jubet exacta custodia in arco carcere  
detineri. Verum, reliquis in Capitolio sic detentis,  
praelibatum dominum Johannem de Sabello,  
de quo, cum esset homo probatae fidei, zelans  
pacem et tranquillitatem Urbis toto mentis  
affectu, nulla sinistra poterat oriri suspicio, receptis  
primo ad cautelam pro eo quibusdam fidejussoribus,  
et Luca ejus filio dato obside pro excambio,[Page 265]

a carcere Capitolii relaxavit. Sed, quia  
dominus Rainaldus de filiis Ursi vocatus Capitolium  
non conscendit, immo se in castro Marini  
non sine audaci promptitudine receptavit, jamdictus  
pseudochristianus contra eundem dominum  
Rainaldum duxit copiosum exercitum Romanorum,  
et castrum ipsum dura obsidione circumdat.  
Cumque nequirit castrum ipsum, quod  
quamplures de Urbe strenui milites et pedites tuebantur,  
sicut firmiter credit, expugnare, redit  
ad Urbum furibundus et tremens. At, in Urbe commorans,  
se non contentans in viros ecclesiasticos  
et ecclesiae romanae devotos manus immaniter  
injicere violentas, ad thesauros innumeros, quos  
servabant ecclesiae, sceleratas manus execrabiliter  
extendere non expavescit. Sunt enim Romae  
diuturni mores, quibus non solum Romani qui alias  
pecuniarum summas modo quolibet aggregant,  
vel habent res alias pretiosas, quas, propter  
latronum hostiumve incursus, in domibus propriis  
conservare formidant, sed quamplures exteri et  
vicini, libertatis petentes romanae suffragia, in  
monasteriis et ecclesiis magna et multa deponunt  
peculia, quae quandoque per longum tempus non  
requiruntur a dominis, considerato quod in locis  
ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita  
conservari. Ad haec itaque diripienda deposita,  
contra ipsarum ecclesiarum privilegia libertatum,  
praedictus dominus Henricus anxiis instat  
conatibus, totoque incenditur mentis ardore;  
sicque, praedo securus, Deum, ecclesiam, et homines  
non verens offendere, loca depositorum hujusmodi  
quadam audet promptitudine temeritatis  
invadere. Hinc confringit sacrilegus ostia, hinc  
sacristias violat sceleratus; hinc fur violentus  
aperit cavernas clericorum. Inde argentea vasa  
et aurea, inde sacras vestes, et quaeque praetiosa  
diripit et asportat. Proh dolor! Lateranensis,  
Sancti Pauli, Sancti Sabae, Sancti Basillii Aventini,  
Sanctae Sabinae, ac aliorum monasteriorum

et ecclesiarum loca dolent et lugent suis disrobata depositis; et, altis clamoribus conquerendo, pro voce dant gemitum, et pro illati doloris incendio suspiria et singultus. Orant ecclesiastici viri suppliciter, et has voces sub eulogio lugubris infelicitatis emittunt:

Cap. XXI

Lamentationes atque preces sacerdotum  
Romae.

"O infelix urbs urbium Roma, tot sanctorum patrum glorificis dotata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in tuis venerabilibus sanctuariis honorata; facta es nunc vicinis opprobrium et subsannationis illusio gentibus, quae circumstant. Venerunt, inquam, gentes in hanc sanctorum hereditatem, quae in cordis insipientia Deum in sanctis suis esse non cogitant, dum diva templa polluere non formidant. Comederunt ecclesiarum peculia, et loca[Page 266]

desolaverunt ipsarum. Precamur ergo suppliciter nos peculiaris Christi et ecclesiae suae populus, nos grex dominicus, et pascuae boni pastoris oves, ut tu Deus ultionum dominus hanc tuam et ecclesiae tuae temporibus nostris ulciscaris injuriam. In conspectu tuo sic gemitus expoliatorum introeat, sicque oppressorum clamor ad sedem tuae majestatis ascendat, ut iniquitates istas, quas fidelis populus tuus a gentibus patitur, quae te non noverunt, provida clementia tuae propitiationis aboleat, et miseratio tuae pietatis absterget".

EXPLICIT LIBER TERTIUS

INCIPIT LIBER QUARTUS

CAPUT PRIMUM

Corradinus una cum ducis Austriae filio, magna Theutonicorum manu, ex Alamannia in Lombardiam venit, ubi omnibus auxiliis, quae jamdiu sibi promissa fuerant, collectis, Romam versus iter aggreditur.

Jam

inter haec Corradinus una cum filio ducis Austriae quodammodo sibi aequaevo cum Theutonicorum manu in Lombardiam de Alamannia venerat; ubi aliquantulum moram trahens, omnium fautorum quandam Manfredi patrui sui tam de Thuscia, quam de Lombardia

recepit tunc, et recepta meditatione diligenter

recensuit quandam per literas oblata subsidia.

Demum vero, licet oculo posset meditationis attendere quod ad invadendum regnum, et Gallicos

in regno morantes, illorum comitiva Theutonicorum,

qui sequebantur eundem, non posset

etiam triplicata sufficere, consideravit tamen quod

gebellinorum usqueaque subsidiis, quae tam

a civitatibus et locis provinciarum ipsarum,

quarum contra regem Karolum videbatur pariter

agi negotium, quam etiam a personis spiritualibus,

quas vel vicinorum invidia, vel temporalium

bonorum cupido coarctabat ad arma

sumenda, et oblata et destinata demum fuerant

Corradino praefato, in uno et eodem exercitu

contra regem ipsum unanimiter animatis,

poterat cum Gallicis, qualibet subcumbendi

sublata formidine, victoriouse pugnare.

Unde, contra monitiones, mandata, et inhibitiones

tandem expressas romanae sedis antistitis,

cujus anathematis et excommunicationis

sententias mente juvenili temere in hac parte

contempsit, Romam quantum potest citius venire

festinat. Et, ut fautoribus et complicibus

suis ejus adventum expectantibus celerem motum

animi sui promat, plus verbosis literis, plusve[Page 267]

praeconiis, quam pedibus, movetur in jam deliberata vestigia. Eum enim improbe suggerentium

suasiones et stimuli fortius ad ultima fatorum  
judicia impellebant, eumdemque incautum  
sub delusoria sponsione belli detrahebant ad nubilum  
tenebrarum, ac sub felicitatis ostentamento  
futurae debilem et insanum in medium procellarum  
fluctuantium adducebant.

## Cap. II

Corradus Capucius atque Fredericus e Tuneto in Siciliam  
se conferunt; ubi litteris nuntiisque de  
proximo Corradini adventu, omnes fere civitates  
ad tumultum excitant. Fulco interim de Podio Ricardi,  
Karoli regis ibi vicarius, ad defendendum se  
parat, ac in rebelles progredi.

Fama igitur de praedictis ad Corradum Capucium,  
et domnum Fredericum, qui adhuc  
erant apud Tunisium, evolante, statim sub favore  
illius regis Tunisii cum ducentis Hispanis,  
totidem Theutonicis, et quadrigentis Thuscis  
stipendiariis, quos in Tunisio ad regis ejusdem  
stipendia commorantes avidos, et spolia Siculorum  
alias hoc expertos temporibus retroactis esse  
repererant, in duabus navibus, in quas tantum  
viginti duos equos induxerunt cum eis, multis  
tamen sellis et fraenis muniti, in Siciliam  
transfretarunt. Hos quaedam terra, quae vocatur  
Sciacta, regalis dominii fidei abjurata, primordialiter  
receptavit; ipsisque a nonnullis Siculis,  
quos tamquam frequenti susceptione occasionis  
exilis aversos adhuc spes vana fovebat, grandia  
exenia praesentantur, per quae non modicum  
eorum debilis fortificatur adventus. Corradus  
igitur Capucius per totam Siciliam spargit literas,  
et se illustris regis Corradini vicarium in  
Sicilia generalem literali fictione describit, tales  
literarum tenores inter alia intimando:  
"Ecce rex vester cito veniet in celebri magnae  
potentiae majestate, in manu potenti et brachio  
excelso nimis. Veniet, inquam, verax dominus,  
verus rex, et vera successio, ad haereditatis  
suae populum, et patrimonii sui gentem, quam  
immaniter opprimi a personis exteris et ignotis  
compatiens, de manibus adulterini regis,  
qui regni non sui possessione possessor violentus  
abutitur, eripere disposuit, et ereptam in  
antiquis felicium progenitorum suorum libertatibus  
confovere".  
Hujus sane Corradi Capucii nuntios et literas  
quamplura loca et nonnullae personae devote  
recipient, et Corradini adventum gratificant  
et acceptant. Quae quidem pervertentes illico  
mentis instabilis voluntates, jam ad Corradini  
nominis et honoris magnificatione aspirant.  
Sicque tota Vallis Mazariae, totaque Vallis Noti,  
et fere tota Sicilia, exceptis quibusdam locis insignibus,  
ut sunt Panormum, Messana, et Syracusia  
civitates, dictorum Corradi et Frederici  
beneplacitis, saltem nutibus, obtemperare videntur.[Page 268]

Cum quidam Fulco de Podio Ricardi, provincialis  
natione, vicarius tunc in Sicilia regis  
Karoli generalis, cerneret Siciliam tam subito  
seditiosa machinatione commotam, contra praedictos  
Corradum et domnum Fredericum adhuc  
in Sciacta, propter equorum paucitatem multum  
debiles, existentes, amicorum et aliorum de contrata,  
quorum fraudulentae voluntatis propositum,  
et dolosi propositi machinatio detegi nondum  
poterat, exercitum per totam Siciliam congregavit.  
Verum contra praedictos multi convenerunt  
in ipsius Fulconis auxilium: qui violata  
mente conflictum morantes intenti eum subacta  
denuo suasione confortant, hac consideratione  
potissime, ut ipsum sagaciis et liberius pro voto  
possint adducere in praecipitum et ruinam, ac  
eundem et gentem suam in cibum et praedam esurientium

hostium praeparare. Ex iis profecto  
quamplures extraneas proditorie fabricaverunt  
bannerias, et falsa vexilla, ut, descendantibus  
hostibus ad conflictum, ea in ipsorum hostium  
auxilium, et exterminium reliquorum, terga vertentes,  
erigerent, et, banneriis ac vexillis erectis,  
de amicis nova quadam mutatione facta subito  
inimici gladios et lanceas converterent in amicos.

Cap. III

Corradus atque Fredericus cum Karoli vicario proelium  
ineunt; qui, a suis proditus, fugit, castraque  
hostibus relinquunt: quare angentur in Sicilia  
vires Corradini.

Factum est itaque quod, dum praelibatus vicarius  
prope Sciactam magnum Siculorum exercitum  
congregasset, illorum potissime, qui vocati  
in partibus illis Ferracani contra reliquos  
appellatos vulgari linguositate Foetentes videntur  
fidem regis Karoli profiteri, jam dicti Corradus  
et dominus Fredericus cum equis et equabus,  
quos et quas invenire tunc poterant in illo  
modici temporis intervallo versus exercitum contra  
eos adductum, quasi familiares hostes et inimici  
domestici, appropinquant. Iis igitur infra  
ejusdem exercitus ambitum audacter subinrantibus  
loca castrorum, statim in ipso debili eorum  
aggressu, nullius tutela defensionibus adhibita,  
Siculorum agmina fugam simulant et sparguntur,  
ac Provinciales in escam hostium derelinquent;  
ex quibus aliqui, erectis falsis et fabricatis  
hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis et  
vexillis, post ipsam simulatam fugam, cui se  
videbantur propter impugnantium formidinem  
commisisse post commixtionem hinc inde jam factam,  
intrant suorum agmina pedetentim, conversique  
repente in arcum pravae malitiae, convertunt  
manus et dimicant contra suos. Vicarius  
autem, se conspiciens sic subito proditum et dolose  
deceptum, dimisis papilionibus et tentoriis,  
farcitis harnesiis, fugae non improvidae petit  
remedia, nec se voluit discriminoso certamini  
conscientia gravata committere, sed se suosque [Page 269]

Provinciales a manibus invalescentium hostium  
eripere studuit fugiendo. Pauci demum ex omnibus  
lethaliter corruunt, quamquam et interfici  
et capi potuerint multi tam ex Provincialibus,  
quam ex Siculis supradictis. Sed hostes advenae  
plus ad spolia, maxime ad capiendos equos, studebant,  
quam ad extinguendum morte taliter debellatos.

Et quia inter exercitiales catervas amicos  
ab inimicis distinguere non valebant, cum  
essent in loco ipsius exercitus pariter confusi et  
commixti cum aliis, quadam parcentes simulata  
pietate prostratis, paucos vel nullos ad ultimum  
interitum adducebant. Verum, ablatis equis,  
quorum sessores, sine personarum acceptione, viriliter  
excubiebant a sellis ad terram, personas  
abire libere permittebant. Replentur igitur advenae  
spoliis, et qui res esuriebant refocillantur  
ad votum, qui erant pauperes fiunt dites, et  
pedites concendent equos ex debellatione sublatos.  
Jam nomen Corradini apud Siculos paeclarum  
et celebre divulgatur, ac ipsius et sequacium  
suorum vires virendo cotidie invalescunt. Discurrent  
equitum comestabulae per montana Siciliae,  
et patentes ac parentes devote sibi terras gloriose  
subinrant. Inter famosas sane terras ac fortis et  
utiles, quas dictus Corradus Capucii subegit dominio  
Corradini sunt istae precipue: Agrigentum,  
Terra-nova, Licata, Notum, Calata scilicet,  
et Nicosia, Cathania, Augusta, Castrum Sancti  
Johannis, Conturbium, Placia, et ultimo Lentinum,  
pro eo quod ferracanorum pars se in  
Turone ac castro Lentino in aliis partibus perditos

receptarunt. Qui tandem, Turonem ipsum,  
quod finaliter defendere non poterant, dimittentes,  
diu castrum jamdictum contra impugnantes  
exterros defenderunt. Interdum autem, propter  
machinas et caveas subterraneas, quibus effodiebatur  
funditus castrum ipsum, aqua perdita  
cisternali, castrum compulsi sunt reddere,  
salvis personis et rebus, instantibus inimicis.  
Ils itaque sic victorioso agentibus, miserisque  
Siculis, non sine dubia cordis perplexitate confusis,  
gravatisque ab amicis, et ab inimicis oppressis,  
merito intra se nutantibus, cum non invenirent  
quibus fiduciose adhaerere possent amicis,  
nisi quatenus anima peccatrix, ad tartara  
tendens, et patrem sub pietatis specie impium  
diabulum habens, sub amicitiae simulatione cruciantes  
eam reperit daemones et tortores.[Page 270]

#### Cap. IV

Fredericus Lancea viginti quatuor triremibus, quas  
a Pisani acceperat, Romam pervenit; indeque  
profectus, Cajetaque vastata, Siciliam petit: ibique  
in Melatii plano castris positis, a Corrado Capucio  
atque Frederico auxilium implorat, qui, ei  
invidentes, societatem cum illo inire nolunt. Robertus  
interim de Lavena viginti duabus triremibus  
e Provincia Messanam venit; ibique Karoli vicario  
sibi adscito, collatis viribus in Lanceam comitem  
proficiscuntur.  
Pisani interea Romam vigintiquatuor galeas  
praemittunt armatas in subsidium Corradini,  
quibus comes Fredericus Lancea praeerat capitaneus  
institutus. Hae quidem galeae nonnullos  
regni barones et exules in regnum devehendos  
excipiunt; fretaque petentes, Cajetam obsident et  
circundant, ac damnificant quantum possunt.  
Multa enim Cajetanorum viridaria devastarunt,  
et apud Molas praecipue arbores sine fine pomificas  
et fructiferas securibus, bipennis, et  
asciis exciderunt. Tandemque in Siciliam remigantes,  
quam jam fere totam praedicti Corradus  
Capucius et dominus Fredericus hostiliter  
occuparant, apud Milatium primordialiter applicarunt;  
ibique dictus comes figens anchoras,  
rudentibus extenis ad terram, descendit ad aridam,  
et quamplura castra in plano Milatii interceptit,  
et munivit pro velle. Sed, quia comes  
ipse Corradini se vicarium appellabat, Corradus  
Capucius, qui ejusdem Corradini vicarius  
nomen usque tunc gesserat, et dominus Fredericus  
etiam, inter quos latens invidia ex sociae  
potestatis impatientia bulliebat, dolere vehementer  
ac invidere coeperunt, et in pugnando  
tepecere, ac intra se, nullis impellantibus  
aut praevalentibus contra eos, debilitari segnus  
et avelli. Cumque praedictos et gentem ipsorum  
dictus comes in sui subsidium peteret adventuros,  
hac intentione commonitus, ut se cum eo in plano  
Milatii jungeret, et messanensem civitatem,  
ubi vicarius regis praedictus cum multis baronibus  
Calabriae et nonnullis fratibus hospitalis  
sancti Johannis jerosolymitani, convenientibus  
ibi de toto regno Siciliae, morabatur, per terram  
variis insultibus invaderent et per mare,  
comitis ejusdem vocationem non attendunt improvidi,  
et invidi plus, quam expediat, se cum  
eo jungere aspernantur.  
Interea galeae de Provincia vigintiduae Messanam  
jam veniunt, quarum dux et rector est  
dominus Robertus de Lavena juris civilis professor;  
cum quibus Messanenses novem alias galeas  
armarunt illico, quarum fecerunt praepositum  
quemdam Mattheum de Riso civem Messanae,  
nautam audacem et securum in mari inter omnes  
alios de civitate praedicta. Sicque, dum in

auribus militum, qui erant Messanae pro rege,  
praedictorum Corradi et comitis Frederici plurimorum  
relatibus invidiae nota jam crebresceret,  
confortantur regii contra hostes, aliquali[Page 271]

propterea animositate resumpta, qui fere prae  
timore facti erant exanimes, dum se perdituros  
finaliter autmant et perdendos. Propter quod,  
consilio inito, milites numero forte septingenti,  
computatis Provincialibus, Calabris, Messanensibus,  
et fratribus praelibatis, de Messana pergun  
ad planum Milatii contra Pisanos et comitem  
memoratum; cum quibus militibus una  
quasi hora galeae Provincialium et Messanensium  
supradictae junctae simul illuc remo trahente  
festinant.

Cap V

Pisani, victo proelio, quamplures Messanensium triremes  
capiunt, et usque in portum reliquas insequuntur:  
quare, magno motu in urbe excitato, cives  
viriliter sese defendunt.

Cumque jam utrinque galeae Pisanorum et  
Provincialium et Messanensium per aequora  
plana de propinquo se cernerent, Pisani, cursu  
hostes praevenientes audaci, galeis obviant praedictorum;  
et ut melius inimicis obsstant, dimicentque  
securius, in altitudine maris supra galeas  
adversariorum aliquantulum se impellunt.

Contra hos Pisanos, qui videbantur jam fugere,  
galeae Messanensium fatue se convertunt. Verum  
Pisani, galearum proras dirigentes ad terram,  
per continuum violentumque remorum impulsu  
galeis tantum Messanensium se conjungunt, et  
fere illas in ipso lacertorum impulsu confringunt.

Messanenses autem, credentes quod Provinciales  
in hostes animosos irruerent, quamvis concussi  
fortiter, se tamen conantur defendere ac resistere  
sicut possunt. Galeis autem Provincialim,  
nescio quo vano timore perterritis, potentibus  
altum mare, ac, nullis eos insequentibus, ad  
subsidia fugae conversis, Messanensium praedicti  
necessario terga dant hostibus, et, quasi naufragi,  
versis pupibus obici terrae, velut praecipitio  
voluntario se committunt. Unde Pisani novem  
galeas Messanensium personis vacuas, et  
octodecim in eis tantum homines abjectae conditionis  
et infimae capiunt. Ex quo tantum sumunt  
audaciam, quod non minus intrepide, quam superbe,  
ad terram cum militibus adversariis pugnam  
quaerunt. Milites autem praedicti, attendantes  
quod galeae Provincialium fugerant,  
messanenses vero jam captae erant, non immerito  
tremescunt, et dubitant, cum ipsi tantum  
de tota regis parte in Sicilia superessent, uno  
nequaquam alterum expectante, nec suam banneriam  
subsequente, cursu continuo quasi debellati,  
messanensem repetunt civitatem, mortificatis  
fugiunt artibus, et campum hostibus peditibus  
et marinariis derelinquent, plus forsitan  
de civibus messanensibus dubitantes, quam  
de Pisanis praedictis, qui eos ausu temerario  
et non sano insequi pedites presumebant. Demum,  
Pisanis ipsis cum galeis suis trahentibus  
usque ad portum civitatis praefatae galeas sic  
captas, Messanenses praedicti, mentibus interius,[Page 272]

jam corruptis, mutuo sibi invicem loquebantur,  
disponentes in animo firmiter militum praedictorum  
spolia, quorum occasione galeas suas fore  
perditas occasionaliter praetendebant, magnis  
ausibus occupare. Sed, dum Pisani ex improvidi  
deliberatione consilii galeas Messanensium  
pridie captas in medio portus tentant igne succendere,  
ac eas succensas igne acutissimo et volante  
unitim impellunt ad terram, ut per hoc

naves existentes anchoratas in portu, et domos  
ligneas in litore fabricatas comburerent, ac demum  
civitatem ipsam, cuius decor est abietum  
levigata lignamina et constructa, darent facilius  
in combustionem et cibum ignis; exiit subitus  
rumor in terra, quod Pisani Messanam student,  
si possint, incendere, ac quod se, mulieres et  
quaeque praetiosa jactassent, de terra ipsa sublaturos  
ad Pisas: propter quod non solum mares,  
sed et mulieres ipsae, verbo rumoris invalescentis  
audito, ad portum propere pergunt  
quadam ferina furia comitati, et naves ac domos  
inchoant sic viriliter defensare, quod ex  
multis et variis Pisanorum contra ipsos Messanenses  
offendiculis praeparatis summo studio  
non laeduntur.

Cap. VI

Corradinus Romam venit, miraque laetitia  
ac honore excipitur.

Verum, dum multa turpia et obscoena horribiliaque  
ac laethalia etiam undique per Siciliam  
peraguntur, dumque tota Calabria usque ad  
portam Rosseti rebellat, Corradini nomine invocato,  
Corradinus ipse jam per faciem summi  
pontificis et dominorum cardinalium, qui in  
Tybure residebant, non erubescit cum copiosa  
gebellinorum multitudine pertransire. Veniens  
igitur per Tuscanellam et Vetrallam, viterbiensem  
exercitualiter calcando districtum, cum immensa  
honoris et magnitudinis gloria pompose  
ductus est Romam. Priusquam tamen Urbem  
Corradinus introeat, ejusdem Urbis populus, qui  
naturaliter imperialis existit, adventus Corradini  
diem constituit celebrem et solemnem; et  
domni Henrici senatoris ordinata persuasione devictus,  
eidem Corradino extra Urbem adeo munitus  
occurrit, quod contra venientem exercitum  
velle pugnare ac ei obviare hostiliter potius videbatur,  
quam pacifice intra terram admittere,  
seu cum exultationis gaudio introducere, sicut  
per dictum populum fuerat ordinatum. Ora tamen  
quilibet relaxabat in jubilum et in laudem; armata  
capita herbis et floribus adornantur: milites  
ad haec, omnes se accinctos similiter stimulantes  
ad pugnam, cum senatore praedicto, distincti,  
more confluentium, per cohortes, exeunt extra  
muros, et, in pratis Sancti Petri sub Montemalio  
cum dicto populo subsistentes, ordinati per acies,  
singuli novis et festivis tripudiis exultantes, Corradinum  
venientem expectant. Quod autem populus[Page 273]

Corradino exiret obviam sic armatus, senator  
praedictus non sine praemeditata astutia ordinarat.  
Intendebat enim per populum ipsum militiam  
Urbis, quantam in Urbe posset ostendere,  
quodque universaliter daret credere quod Romanos  
omnes promptos et paratos fidelibus et devotis  
animis habere senator ipse poterat contra  
regem, ac per hujusmodi ostentamenta pomposa  
et fallacia Romanorum praedictorum dicto  
Corradino patefaceret voluntatem. Nihilominus  
tamen tripudantium militum agmina vestium  
pretiosarum diversorumque colorum desuper arma  
varius habitus distinguebat. Quodque magnum  
est et auditu mirabile, mulierum choreae  
Iudentium intra Urbem in cymbalis et tympanis,  
lituis, et violis, et in omni musicorum genere,  
concinunt. Volentesque suarum pretiosarum rerum  
abundantiam, quam plerumque sequitur voluptas,  
ostendere, de domo in domum in oppositum  
consistentem jactatis, ad modum arcus, aut  
pontis, chordis et funibus, vias medias desuper,  
non lauro vel ramis arboreis, sed caris vestibus  
et pelliibus variis velaverunt, suspensis ad chordas  
strophaeis, flectis, dextrocheriis, periscelidibus,

arbitris, grammatis, armillis, frisiis et diversorum  
ac pretiosorum annulorum appensione,  
diadematum etiam et fibularum seu monilium,  
in quibus gemmae fulgentissimae relucebant, bursis  
sericis, cultris tectis de piancavo samito, bisso,  
et purpura, cortinis, tovaliis, et linteaminibus  
contextis aureo siricoque per totum, juncitis  
velis et palliis deauratis, quae doctus opifex  
citra et ultra mare de diversa et operosa materia  
caraque texuerat. His igitur ornamenti omnes  
fere Urbis viae, per quas Corradinus erat vadens  
ad Capitolium transiturus, taliter adornantur.

Nec fuit aliqua illius pompositatis et  
gloriae comparatio, quando Romam regem Karolum  
venientem universaliter exceperunt. Nunc  
enim altera partium ejecta erat ab Urbe. Propter  
quod ab hiis, qui remanserant, quicquid factum  
est solemnitatis et laetitiae die ista, et cordis affectu,  
et ex animi liberalitate, seu mera voluntate,  
processit.

#### Cap. VII

Romam Corradinus ingressus, contra Gallos concilium  
convocat. Sed suorum plerique per proditionem  
ipsum necare moliuntur.

Ecce jam Corradinus in pratis ecclesiae.  
Ecce venalis gens Urbis, plebs gebellinica, non  
sine impressione fastuosa et astuoso compulsa,  
ad lora dextrarii Corradini festinat, et quilibet  
in hoc, ut major appareat, nitens alium praevenire,  
eundem Corradino e vestigio pedes  
dextrare fatiscitur, et eum intra terram conducere  
satagit, sperans laudis plus aliquid promereri.  
Ingressus est itaque cum suis pompatice caveam  
civitatem, quae, frequenter libertatis antiquae  
pudicitiam violando, actu meretriciali verisimiliter  
protrans adulterandam cuilibet venienti

[Page 274]

domino impudenter se exhibet, ac ultroneam  
se exponit; ibique adversus regem Karolum  
de tota Italia convenientibus gebellinis,  
Corradinus ipse, dominus Henricus dux Austriae,  
comes Galvanus, comes Gerardus de Pisis, comes  
Guido de Monte-feretro, Corradus de Antiochia,  
et capita gebellinorum Urbis, videlicet  
Jacobus Neapoleonis, frater et filii Aniballensis,  
comes Alkerucius de Sancto Eustachio, Stephanus  
Normanni, Petrus Romani, Johannes Arlacti,  
et Surdi omnes etiam, quorum Raulus per  
Manfredum quondam comes fuerat factus Cathanensium,  
nec non et multi milites et barones  
theutonici, lombardi, tusci, romani, et  
exules regnicolae viri famosi, pluresque, quos  
fama celabat obscura, consilium contra Gallicos  
inierunt. Sed et juvenilis mens casus, incauta,  
futuros praevidere, tamquam familiariter decepta,  
non poterat, qualiter ille iniquitatis filius,  
auctor totius sceleris nequitiae, pseudochristianus  
dominus Henricus senator, immo verius profanator  
Urbis, clam et fraudulenter condita deliberatione  
proposuerat cum Galvano, et quampluribus  
optimatibus fraudulentis, qui hac intentione  
Corradini sequebantur exercitum, ut,  
rege Karolo, sicut tenebant firmiter, expugnato  
et Gallicis, iuxta gebellinorum vana figmenta,  
devictis, infelicem Corradinum, qui per omnem  
modum tendebat ad interitum et ad malum,  
ac ducem Austriae, cum quibusdam magnis  
viris de Alamannia, comitibus et custodibus  
dicti Corradini, proditoria insultatione perimerent,  
et, tamquam familiares hostes improvisos,  
miseros et incautos immaniter adnullarent sicque  
praedictis crudeli ausu improvisa peste peremptis,  
domnum Henricum praedictum in Siciliae  
regem inungerent, totiusque regni sibi traderent  
dominatum. Hac igitur machinatione dolosis per

totum fabricata propositis, habere per Cellas in regnum duces exercitus Corradini primum disposuere congressum. Sed, antequam rem optatam se obtinuisse laetentur, fiunt in rebus dubiis barones, et comites distribuuntur, victoriae nondum habitae vel possessae fit perpetua comitatum et feudorum concessio, et in sortem propriam quilibet ex gebellinis gratiam sibi de regni possessionibus pragmate concesso receptam ante horam dinumerat et recenset. Haec est ambitio cupida, quae et exorbitat in virtute propria, et perenniter cruciat quemlibet ambientem.

#### Cap. VIII

Corradinus, una cum gebellinis omnibus Roma discedens, in Aprutium procedit, atque in Allae agro castra ponit. Haud procul cum suis castramentatus est rex Karolus: uterque exercitus mira pugnandi cupiditate fragrat.

Egreditur jam Urbem plebeja multitudo, ac nonnulli magnates et equites alii cum eadem; et per duas dietas, quibus tantus potuit ire conventus, plebs gebellinica exercitum sequitur Corradini.[Page 275]

Sed ex condicto et deliberato inter duces exercitus, majorem partem populi romani commeat, eis data licentia, iis dumtaxat retentis, qui magis videbantur sub gebellinicae devotionis zelo fervore de magnatibus Urbis. Ii secuti sunt usque ad ultima facta casualia Corradinum. Petrus Romani praedictus, qui pridie regi Karolo adhaerebat, nunc vero, opportunitate captata magnae et apparentis potentiae Corradini, quae videbatur usquequaque perpetuo valitura, occasionaliter mutato proposito, ac rupto fidelitatis foedere, quo se regi conjunxerat praelibato, ad devotionem fuerat Corradini conversus. Cum hoc quidam Alkerucius de Sancto Eustachio, vir animosus et valde pugnabilis, et Stephanus Alberti, cuius animus nondum bellica fama claruerat, et dominus Johannes Caporelle, vir senex, qui jam armis cedere poterat et debebat, dominus Neapoleon filius domni Jacobi Neapoleonis, dominus Ricardellus de Aniballensis, et quidam Petrus natus domni Johannis Arloti, multique alii milites, et equites, cum eisdem voluntarie contra regem festinant in regnum, quasi duces et rectores romuleae multitudinis popularis. Catervis igitur gentium diversarum nationum cum Corradino convenientibus in Aprutio, exercitus totus hujusmodi castrametati sunt per loca districtus Allae; ibique de prope rex praedictus cum exercitu substitit Gallicorum, habens secum Provinciales in numeros, regnicolas etiam aliquos et Romanos. Quidam enim miles strenuus de filiis Ursi, Bartholamaeus nomine, ac Anibaldus, qui dicitur Marchio, vir amabilis et studens prae ceteris illis de sua progenie bonitati, regium animose sequebantur exercitum et juvabant. Sicque, prae multitudine hominum, quae dinumerari non poterat, continuus et validus in castris clamor aderat hinc inde, qui adeo per cymbalorum tinnitum, et sonitum tympanorum, tubarumque clangorem invalescere denuo nitebantur, quod voces hominum non patiebantur discerni. Sed omnes omnium voces in aëris suscepta coelo nova quadam mutatione in extraneum sonum conflati non solum omnes, sed et creaturas coelestes velut grandia tonitrua reverberationibus inculcatis poterant commovere. Sane utrinque magna erat aviditas configendi, et tanta quippe, quod modo milites, modo pedites manualiter singulari concertatione se jungunt, et, ut ita loquar, frequenter palocticia faciunt singulariter et configunt; quodque quanto magis alter alterum invadendo tentabat, tanto

plus crescebat audacia, magisque nitebatur  
pugnandi voluntas procliva fervescere, et acui  
animositas alternatim.

Cap. IX

Karoli atque Corradini exercitus ordo  
ac dispositio.  
Constituit igitur rex Karolus, non sine magna  
bellicae sagacitatis experientia, tres militum [Page 276]

acies. Prima fuit Provincialium, et quorumdam  
Romanorum, quibus primus est indictus aggressus;  
secunda Gallicorum quamplurium, qui sub  
stipendiis militabant; tertia fortassis octingentorum  
nobilium strenuorum, qui totum regis,  
si expediret, exercitum poterant relevare ruentem.  
Primae praererat Jacobus de Gaucelmo; secundae  
regius marescallus, qui regis Karoli verisimiliter  
simulabat personam, pro eo quod  
ejus receperat coronatoria munimenta, et insignem  
sedebat sonipedem phaleris, more regio, et  
cooperturis ornatum; tertiae, quae continebat electos,  
rex ipse constituerat se ductorem. Prima  
petit vasta campestria; secunda ordinata collibus  
curvis insidet, ut succurrat; tertia post colles  
densis cinctos nemoribus, velut canis catenatus,  
mugitu bovis auditu, fremescens, adversariorum  
zelabat aspectum, ut, si videretur expediens,  
opportune prodiret in campum, et improvisos  
adversarios offensaret. Ex adverso Corradinus  
duas tantum suorum militum fecit alas,  
primam quorum militum aciem sequebantur Hispani,  
qui fuerant cum domino Henrico profecti,  
hanc etiam et Lombardi, quorum dux erat  
Galvanus, et eamdem Thusci sub ducatu comitis  
Gerardi de Pisis. Hae quidem gentes agrestes ex  
tribus nationibus sic collectae, densatim turmam  
in altitudine facientes, dum sese in campis glomerant,  
constituunt se ipsas inexpugnabiles, et  
fortissimas ad cuiuslibet discriminis proelium  
sicut murum. Vires enim expertas habebant, et  
promptos et audaces quasi animos ad pugnandum.  
Secundus vero exercitus Corradini manipulus  
de clamorosis in bello Theutonicis congregatis  
sub nutibus Corradini, ducis Austriae, ac quorumdam  
baronum de Alamannia solitae audacie,  
moderabatur habenas. Ex praedictis igitur  
directis ad bella manipulis, non vana resultat  
crudelitatis opinio, quod si cum illis tribus alis,  
quas rex constituerat saepefatus, sola prima  
Corradini acies conflixisset, sanguis gallicus,  
bello taliter perditus, humum et herbas desuper  
faciliter et absque resistentia finaliter madefacere  
cogebatur. Sed frustra intentatur aliquid invito  
numine superno.

Cap. X

Commisso proelio, atrox post certamen, Galli in fugam  
conjiciuntur. Karoli marescallo capto caput  
obtruncatur: quamobrem rumor exoritur ipsum  
Karolum esse interfectum.

Demum ad haec cohortibus alternatim ad bella  
dispositis, et certis signis concertantium moribus  
habitum hinc inde statutis, tubae vicissim  
sonum dant terribilem, concrepant cymbala,  
coelum remugit clamoribus, et terra resonat quasi  
concuissa clamoribus tonitruis. Primae etenim  
acies stabilitae sub praedictis signis camporum  
spatia repente corripiunt, et, effusi per jugera  
equites sicut nimbi, continuo voces cum viribus [Page 277]

efferunt, et limites datos per exercitus praesides  
utriusque transilientes, cum furia pugnam  
usqueaque lassunt, et, dum ex praeconcepta  
furoris iracundia naturalis vim animus excitat,  
vires ex ira colligunt, quae illa nonnumquam  
et in debilibus subministrat. Ex iis ergo aspera

pugna surgit; manus enim immissent manibus,  
et alterna brachia per aëra jactitant, frequenter  
auras acuis ictibus verberantes. Multa inter  
se vicissim dant vulnera viri compugiles bellicosi,  
et aliqua lateribus cavis ingemint, pectoraque  
faciunt munita hinc inde sonora. Discunt  
armatae genae frequentibus crepitare sub  
ictibus, erratque circum aures et tempora crebra  
et instans percussio fortium bellatorum; ac nunc  
dextera, nunc sinistra vicissim actus sonoros  
incolcat, nec nulla data mora vel requie creber  
miles alter alterum, nimborum densitate ad instar,  
qui, cum ad tecta et culmina defluunt cum  
grandine, concrepant ictibus densatis, impellit et  
pulsat virosis impulsionibus atque versat. Inde  
est quod ex confligentibus hic de equo ad terram  
excutitur, et in spiso jacet pulvere convolutus,  
hic, caput in sella ex utraque parte reiectans,  
jamjam sui casum dubie comminatur. Hujus  
collapsa cervix pendebat in humeros; alias  
cruorem evomit ex ore vel naribus defluentem;  
aliusque cum sanguine dentes mixtos emittit.  
Alterius ad terram cerebrum et intestina sparguntur;  
et dum utrinque fiunt acriores ex pugna,  
neque aspectis vulneribus deterrentur, nonnulli  
vitae spiramina derelinquent. Sicque caeduntur  
duces et praesides, ac innumerum sine  
nomine vulgus cadit. Et dum Provincialium  
acies, quorum jam multi corruerant, hostibus  
terga dedisset, per stipendiarios gallicos, qui  
secundum regii exercitus aciem faciebant, manipulo  
primo succurritur fugienti. Densatur bellum,  
et bellantes invicem se perurgent; miscentur  
sine discrezione compugiles, et solum vocis signum  
hostes discernit ab hostibus, cum facta esset  
hinc inde commixtorum militum una massa.  
Rex autem de specula collum, quorum summitate,  
ut pugnam cerneret, ascendebat et descendebat,  
dubius intuendo predicta, fremebat  
dentibus, et mente tremebat, nec dum in campum  
pugnae prodire tentabat, vel aequo campo  
se dare. Sed, dum ex mora superbiam colligit,  
spiritum affectu confligendi fatigat, et asper natura  
sui concepta vero improbat, castra intuens,  
absentes arduo cogitatu saeviebat in hostes. Itaque  
secum ignescente.....ardens dolore medullitus,  
nondum videt qua ratione tentet aggressum,  
quamquam suis electis commilitonibus amor in  
bella ruere unus esset. Considerabat enim adeo  
adversariorum acies multitudinis robore fore firmas,  
quod electorum suorum paucitas hostilium  
gladiorum illa hora non suffecisset ad cibum.  
Nondum enim suas direxerant intentiones ad  
spolia, sed adhuc ad pugnandum vivacibus animis  
intendebant. Hispani adhuc, cum ad torquendum  
hastilia lacertos agiles habere dicantur,[Page 278]

nonnumquam lacertis adductis in gyrum, vibrando  
lanceas compellebant hastas ocius volare  
per auras, quandoque hostium obviantum transfigentes  
praecordia fixo scuto. Sicque, dum hujusmodi  
per diversa camporum loca geruntur, omnis  
multitudo pugnantium frementibus cedit Hispanis,  
et aliis de prima acie supradicta. Provinciales  
autem, et globus eorum, quos nequaquam  
attingere potuit gladius inimicus, fugam  
quantum poterant celerabant, alii per silvas, aliquique  
per montes, alii ad nota, nonnulli per ignota  
et devia fugientes: et dum quidam extranea  
petunt divertia, ii per silentia loca errant; illos  
nigra salvat horriditas; alios incalcata semita  
calles devehit per occultos; nonnullos vero per  
ignotam viarum regionem pavor obduxit. Verum,  
si convertant se aliquantum fugientes, dum  
densitatem insequentium conspiciunt, retrocedunt

frequenter, actores vulnerum, propter manuum spissitudinem, non videntes. Fugiens, inquam, Jacobus de Gaucelmo Aquilae substitut, et alii per loca diversa excedentes a castris, tuta capessunt receptacula, si qua possunt, plenaque vasis argenteis, armis, tapetibus, et rebus decoris innumeris tentoria Theutonicis derelinquunt. Omni ergo Corradini exercitu per apertos campos effuso, per castra pavida fama volavit quod, primatibus exercitus regis Karoli una caede peremtis, rex ipse Karolus captus erat. Tunc enim marescalcus suus erat manibus hostium interceptus, qui sub eisdem regis armaturis eximias ..... induebat, quem Corradinus contra honestos mores pugnantium, qui prostratis et captis sibi invicem parcere didicerunt, de comitum lombardorum consilio, infra septa castrorum fecit, durante certamine, capite mutilari. Ex quo verisimilis fama resultans, faciles aures mendacio replevit, immo ut publicum et notorium deferebat quod rex capite fuerat mutilatus. His et aliis vane replentur castra mendaciis: ingentique caede peracta, Corradinides.....quaesitis spoliis, et tamquam victores spoliis gratulantur et praeda.

#### Cap. XI

Gallis clade perterritis Erardus de Valeri animos addit. Karolo eadem hortante, ad pugnam paratos omnes se offerunt.

Verum legione quasi tota Germanorum sub triumpho campis castrametante, staretque hujusmodi concertatione sopita peditum multitudo hastis in medio castrorum et campi longis annixa, quibusdam nihilominus, qui fuerant per plana diffusi, castra repetentibus hostium propter robam, quidam immani corpore miles, nomine Erardus de Valeri, latos habens humeros et membra nervis compacta fortissimis, caput in altum extulit circum colles, regique proloquitur, et electos, quos collum occultabat curvitas, non exclusit.

Ait enim: "Nunc videndum est nostra si fortis sit[Page 279]

dextera; nunc castra sunt inimica petenda: ipsa namque res facti nos ad bella vocat. Ad praesens ergo agmina secura hostium invadamus: nam campus nobis hodie triumphantibus remanebit. Nulla discrimina video in pugnando; sed neque in fuga spem vivendi suppono. Tu enim, rex, hic tot es electis militibus comitatus, quod dummodo ampla pugnandi trahamur deliberate cupidine, leve est audere quod placeat. In hostes ergo statim medios irruamus". Rex vero, novo aspiciens hostes tripudio congaudere, suosque partim caesos, partim extra castra fugatos nulla suorum signa superesse discernens, quamquam illius militis grata voce confotus, mentis robur sub ambiguitatis tantae perplexitate reciperet, vultum tamen et ora lacrymis defluentibus irrigabat, voce orans hoc modo submissa: "Deus, sub cuius nomine gens gallica semper pugnat, non patiaris nunc Gallicos tuos animo deleri, sed exhibe nobis ex his improbis hostibus hanc tantam miraculose victoriam, ut jugiter, sicut solemus, in tuis possimus laudibus delectari. Sed, o vos praesentis fortunae comites, sine quibus nec volo, nec possum nancisci gloriam, habete pro constanti quod, si nos hostes hos agrestes hac vice superare contigerit, et sceptrorum solitis fascibus repotiri, non solum ad participium laudis et gloriae conquisitae, sed in virilem sortem, vos recipiam obtentorum". Tremefacti sunt igitur nutu regis astantes, et ajunt: "Mori hodie pro justitia regia magnum pretium reputamus. Honorem hunc vita nostra bene emi credimus, si contingat; animos enim habemus pro hac re lucis, si expediat,

contemptores. Te regem usque ad interitum  
prosequemur. Verum, si quis, quod absit,  
casus nos praecipitet, rapiat in adversum; te  
tantum optamus, cuius est vita dignior, superesse".

Cap. XII

Hostes ad praedam intentos Galli adoruntur, ac, ingenti  
clade perpatrata, in fugam conjiciunt. Henricus,  
Galvanus filiusque, atque Corradus de Antiochia,  
captivi fiunt.

Confestim igitur, jussu regis, cuius praesentia  
nimirum comites urgebat electos, concelerant  
simul invadere jam securos, regemque horrifico  
fremitu consequuntur. Hic in omnem casum pergens  
audacior, premendo vocem et fremendo vestigiis  
ad castra currebat adversa, et fulmineum  
ensem non segnis educens, veluti lupus impastus,  
cui famis impatientia jubet fauces sanguine cruentare,  
plaena haedis et matribus turbat ovilia,  
ea parte prosiliit, et aggreditur hostes, qua ingens  
adversariorum globus super recensendis  
spoliis imminebat. Ruunt et electi cum ipso, ac  
ingentem molem hostium volvere ac subvertere

[Page 280]

collectis viribus subnituntur. Cogit ergo rex socios  
galeatos in proelia, et galeis coruscantibus  
cristata capita simul angit in hostes. Tendunt  
electi qua densissima hostium cassantium agmina  
juncta vident. Superbum ad haec Galvanum,  
cujus aviditas tantum ad spolia intendebat,  
rex juxta tentoria regalia subsistentem  
et mirantem varietatem et multitudinem spoliorum  
adducto ense congreditur; sed, quia rex de  
casu sinistro denuo metuebat, voce pressa dicebat  
ad comites: "Vos autem, ne aliqua manus  
vobis a se tergo possit attollere, custodite". Late  
igitur Corradinides costernuntur, nec tamen  
electis sufficient saepefatis, eorumque arma  
revolvuntur et tegmina, et terra madet atro ipsorum  
sanguine tepefacta. Trunci jacent acephali  
manante cruento lethaliter singultantes.  
Ferro gens excinditur scelerata, et transadiit  
ultra costas. Alterius pectus ad terram tepidum  
singultibus longis pulsat. Sed dum frustra quidam  
in excidio fugam tentant, est qui post eos  
acclamat: "State, viri; ad quis venistis? quidve  
in armis estis assumti? quae fuit causa viae, et  
quae est causa fugae tam subitae?" Sed fugientes  
nihil e contra reddunt; immo celerioris fugae  
praesidio se committunt. Relinquunt inviti  
occupata spolia, et propria non reportant. Fugit  
et ipse pseudochristianus Henricus, sed frustra  
tentat in malis fugam; nam, licet, pugna relicta,  
fugerit a facie hostium inermis, tamen latitans  
capitur per quemdam abbatem monasterii  
sancti Salvatoris prope Reate, quem ipse abbas  
tradidit ronanae ecclesiae, quam idem Henricus  
lacessere vane studuerat et turbare. Demum  
tenendus citra mortis periculum regi Karolo assignatur.  
Galvanum et filium, Corradum etiam

de Antiochia gallica manus victoriosius apprehendit.  
Tandem Galvani filius, patre praesente  
ac similem sententiam expectante, capite mutilatur,  
ut, filialibus poenis aspectis, paterna viscera  
moeroris magis crucientur angustia, majorique  
cruciamine comprimantur, parque mors  
vel sententia expectata sola consideratione paternum  
animum magis affligat, magisque terreat  
et conturbet. Corrado vero de Antiochia post  
tempus ad magnam reverendi patris S. Cajetani  
sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi  
cardinalis instantiam, vitae beneficium indulgetur,  
et pro excambio domini Neapoleonis  
et domini Matthaei fratrum cardinalis praedicti,  
qui apud castrum Sarracinesci sub uxoris ejusdem  
Corradi custodia tenebantur, a gallica potestate

subducitur, et ecclesiae romanae donatur.

Cap. XIII

Corradinus Romam versus fugit; ejusque milites adhuc caeduntur. Fama de Karoli regis victoria allata, gebellini maxime deterrentur.

Corradinus infelix, cuius ante annos anni virilis satis cura premebat, ducatu quorumdam [Page 281]

de Urbe nobilium, levis, immo rebus quibuslibet vacuus, vel evacuatus potius et exhaustus, una cum duce Austriae, comite Geraldo de Pisis et quampluribus suae gentis primatibus, versus Romam attonitis sensibus accelerat fugiendo. Ibi enim comes Guido de Monte-feretro remanserat vicarius ordinatus. Sic itaque, post fugatam partim, partimque caesam legionem Corradini secundam, nonnulli de prima acie, qui Provinciales et alias de manipulis duobus exercitus regii fuerant insecuti, ad castra miseri redeunt vana cogitatione decepti, nescientes adhuc quod campus Gallicis remansisset. Hos enim catervatim non creditam incaute redeuntes ad mortem gallica manus intercipiebat immaniter, nulli vitae veniam indulgendo, sed extrema aequando fata repetentis castra cujuslibet pari poena, et redeuntes quoslibet aequo cruciamine exscindendo. Quosdam vero ex Romanis Achivis, qui nonnunquam delirantis dominis varia poenarum inflictione plectuntur, postquam in ferocitatem concitatum saeve gallicam inciderunt, rex, in signum et memoriale ejus, quod perversis volubiliter animis, fide abjurata, qua ecclesiae tenebantur et sibi, attentaverant temerarie contra eum, fecit obtruncari pedibus. Et tandem, considerans quod ex hujusmodi aspectatione opprobrii Romani poterant provocari, usus consilio saniori, glomeratos reductosque infra septa cujusdam clausurae murorum fabrica circumquaque vallatae incendio tradidit, et igne consumxit. Coepit igitur de victorioso regis triumpho fama crebrescere, quae volando denuo succrescebat. Unde rei veritate Urbis patefacta magnatibus, et inferioribus etiam reserata, gebellini suos deplorant amissos, caesosque recensent, qui fuerunt pridie bello peremti. Hos enim, praeter alias praedictos, cara ulterius uxoria non aspectet affectio, nec thoros ultra repeatat conjugalis: videlicet Stephanum de Alberto, Alkerucium, et Johannem de Caporella; cum quibus in bello sine nomine multitudo peditum romanorum irrevocabiliter est collapsa. Petrus vero Romani, Romam rediens non incolmis, sed Gallicorum ingentibus ictibus malleatus, per modica vivens tempora, praetextu receptorum munerum et illa occasione, ante fatalem diem mortis morsibus expiravit. Quidam etiam Cinthius de Cerinis, quem una fides, una perfidia, unaque passio eidem Petro conjunxerat, contusus membra per totum, recuperare numquam potuit sanitatem, sed ex eo lucis omnino factus est expers, continua valetudine maceratus.

Cap. XIV

Guelphi Romam ingrediuntur, civitatemque ad tumultum excitant: quare, suis suadentibus, ad maris littus, Pisas transiturus, Corradinus configuit.

Corradino itaque, cui nullus post devictum a Gallicis bellum remansit amicus, Urbis petente [Page 282]

tutamina, dominus Johannes, et dominus Pandulfus de Sabello, dominus Bertholdus, qui tunc de bello redierat, intrant hostiliter Urbem, multis paribus et imparibus sequentibus illos guelfis, et gebellinorum trepidantia infestis rumoribus corda turbant contra hostes bella; inter cives vero seditionem studentes ex deliberatione movere,

nihilominus tamen Corradinus, qui pridie patenter et pompatice cum immensa Urbem occurrentis populi gloria introierat, deposita pompa potentiae, non ut praeses, sed ut praedo relicta praeda diffugiens, latenter ingreditur mente captus. Sed gebellinis considerantibus quod, eorum jam posse concusso, de facili Corradinus poterat Romae capi, quodque ibi vires nullas resumere poterat, suasione suorum, quibus nihil de animositatis virtute remanserat, sed nec de viribus quicquam, marina diffugit ad litora, credens pervenire usque Pisas incolumis, ibique aliquibus viribus restaurari. Sed multos sua fallit intentio, et spes quandoque consuevit evanescere praeconcepta. Comes namque Gerardus praefatus in Urbe latitans concidit in laqueum, quem timebat. Hunc enim manus guelfa comprehendit, et tandem exhibet dicto regi.

#### Cap. XV

Corradinus una cum duce Austriae, aliisque, celocem descendens, Pisas versus fugam capit: sed, a Johanne de Frangipanis, qui eum insequebatur, deprehensus, in Karoli regis potestatem venit, a quo vinctus Neapolim judicandus mittitur. Corradinus ad haec cum duce Austriae sibi fortassis aequaevō, quos forsitan et aequabat justitia, cum quibusdam etiam aliis proceribus, quos a belli discrimine una fuga subduxerat, quandam apud Asturam saguntiam, fortuna sibi undique non vetante, descendit, et, vitae suaē volens experiri residua, remeat versus Pisas. Verum, dum quilibet de more struit insidias, et parat offendicula debellatis, ac sicut canis grege praeposito cervum sagittatum dumtaxat latratibus impedit fugientem, sic nonnulli, qua nescio ducti cupidine, quo ve spiritu vel affectu, dum non absque dolo student semper victoria signa sequi, ardent potius in afflictos ab atrocitate insequentium jam seductos. Inde est quod infelices et incauti, jam credentes hostium evitare saevitiam, quadam extranea pietate, vel impietate potius, novos inveniunt denuo inimicos. Sicque quidam de magnatibus Urbis, nomine Johannes de Frangipanis, dominus praedicti castri Austuræ, credens non recte fecisse, quod Corradinum sic impune abire libere permisisset, dum sibi et regi placere desiderat, a quo magna sperabat pro magnis ausibus obtinere, armat aliam saguntiam, et Corradinum multipliciter fatigatum multoque metu confectum insequitur, et invadit, capit, et reducit ad terram. Sed heu, inquam, ubique periculum expugnato! vitans enim terrarum [Page 283]

discrimina, in vastitate maris foveam reperit, ubi cadat. Johannes itaque praedictus, ad terram rediens, nova, sicut venator, gaudet laetitia, capta praeda, sperans, sive tendat ad dexteram, sive ad sinistram declinet, affectatis in omnem eventum repleri muneribus, et praetio propterea magno dotari, sive regi placitam et perquisitam velit praedam assignare, quam cooperat, seu suaē restituere libertati. Verum Robertus de Lavena, capitaneus galearum provincialium, quae pridie, sicut vidi, et duraturum testimonium profero perloquendi veritate suasus, satis viriliter fugerant, quoniam ad eundem Robertum captionem hujusmodi novae praedae fama perduxerat, comites galearum, totumque stolium cogit ad terram, volens saltem per vim, si valeat, ab eodem Johanne subducere et extorquere concertos. Ipse vero Johannes, qui nec liberare, nec tradere praedam disposuerat, nisi magna prius foret mercede dotatus, Corradinum, et alio illaqueatos taliter ab eodem, ut exhibere praedam hujusmodi dicto Roberto cogi, sine

grata et sperata pactione, non posset invitus, ad quoddam castrum de prope forte transvexit. Angitur ergo in castris et angustatur obsidione nautarum, ad quam obsidionem fortius perurgendam dominus Jordanus de Terracena, cardinalis, qui officio rectoriae comitatus Campaniae per sedem apostolicam fungebatur, cum equitum et peditum comitiva convenit. Demum vero dictus Johannes tum pollicitationibus amplis illectus, tum inductionibus terroreque devictus, nec minus interea morem gerens non propriam restituit praedam venatoribus venantibus praedam suam. Tunc sane, sicut creditur, dictus Robertus abolevit infamiam, qua de fuga Siciliae turpiter poterat annotari, tunc maculam infamis annotationis extersit, et regium meruit rehabere favorem, quem aliter credebatur forsitan perdidisse. Excepit ergo captos saeva manus regis et dira cupiditate, manditque pro voto de venatione quaesita, et pro libito vescitur rebus optatis; ac, dum omnes reputat inimicos in ejus potentiam jam conclusos, jubilo confunditur gaudiorum. Ut autem, sine dilationis mora, quae parit plerumque periculum, faciat rex de vitulo superstite victimam, Corradinum recognoscetem saepius contra suam matrem ecclesiam deliquesce, nec minus contra regem ipsum vehementer errasse, procuravit, per quosdam ecclesiae romanae cardinales illuc propterea per sedem apostolicam destinatos absolvit, et tandem vincitum perducit usque Neapolim, ut ibi secundum legem eum faciat judicari. Corradinus sane terrore mutus et metu, nihil audet palam temere proloqui, , nec secum infelici dolere de casu; sed tantum pia matris recenset viscera, et futurum in eo gemitum matris deplorat: "Ha, Ha, inquit, o genitrix, me missum ad tanta pericula, quasi casus filialis praenuntia, deplorabas: 'O sola mea requies senectutis; o unica vitae ulterioris fiducia; me solam qualiter derelinquis?' O cara mater;[Page 284]

utinam si supersunt aliquae de avulsa felicitate reliquiae, misera miserae simul fandi copia traderetur!" Sed heu infelix ex casu tam gravissimo Corradinus oppressus, motu et sensu penitus destitutus, ejus, quod egerat, illico poenitens, vultus colore mutato, quasi sentiens sibi vicinae mortis periculum imminere, dolet se lethiferum recepisse morcellum, quem adhaerentem jam gutturi non potuit deglutire.

#### Cap. XVI

Corradinus una cum duce Austriae ac comite Gerardo de Pisis, Neapolis foro, dicta causa, capite obtruncatur, atque furtim sepelitur.

Rex autem ex generosis civitatibus Terrae-Laboris et Principatus syndicos duos bonos viros ex qualibet terra pro Corradini sententia Neapolim convocavit, ut non suum quod acturus erat de Corradino judicium videretur, sed potius hominum de contrata. Fortassis enim circa hoc conscientia mordebat, quod eum captum de jure non posset ultimo damnare suppicio, qui ejusdem regis hostis fuerat manifestus. Sed volebat quod praedictorum periret judicio et eorum sententia sancirentur, quorum spolia occupare et temerarie arripere intentarat. Factumque est ita, quod contra Corradinum, ducem Austriae et comitem Gerardum de Pisis, apud Neapolim mortis est sententia promulgata; ibique in campo fori juxta eremitarum locum, cuius a sinistris via media sunt coemeteria Judaeorum, capitibus obtruncatur. Corradinus, inquam, antequam hujus mortis calice potaretur, existens juxta passionis locum damnatus, dum saeve moraretur in manu lictoris, non voce querula .....

sed ad coelum jungebat palmas, mortemque inevitabilem  
patienter expectans, suum Domino spiritum  
commendabat; nec divertebat caput, sed exhibebat  
se quasi victimam, et caesoris truces ictus  
in patientia expectabat. Juvenili ergo sanguine  
in poculo crudelitatis absorto, ad terram dejicitur  
pueritia, et perdita est juventus. Insignes  
trunci jacent exanimis, et delapsae cervices, et  
capita sine voce. Madet terra pulchro cruore diffuso,  
tabetque juvenili sanguine cruentata, jacent  
veluti flos purpureus improvida falce succisus.  
Decori artus acephali non tumulantur, sed humantur  
corpora sic obtruncata. Lapidum cumulus  
objicitur loco tumuli, cuius eminentia usque  
hodie subterratorum ostendit cuilibet sepulturam:  
quamquam habet opinio plurimorum, quod fratres  
illius loci, vel ex devotione, vel pietate materna  
ducti, seu prece pretiove commoti, ossa  
Corradini clandestino exhumaverunt, matri  
miserabili destinarunt. Posteritas igitur Frederici,  
cujus aemula quasi fuit transgressio genitoris,  
tamquam succedens criminibus avitis,  
evanuit, nullo de suo satellitio superstite remanente.  
Infecerat enim suae propagationis rivulos[Page 285]

Frederici dira contagione nequitia et in traducem  
generationis suaे materiam sceleris originale  
traduxerat, et exquisitae malitiae incentivum.  
Pereunt aquilae pulli, et eorum pullulatio,  
locusque confidentiae perenniter desolatur.  
Radix non generat ulterius Frederici, nec serpens  
ulterius sibilat, nec absorbet suae commentationis  
effectum, nec vitiosa cupidus frendet amplius  
detentione possessor. Arbor hujusmodi non  
facit plus surculos, neque floret, nec fructus producit  
ulterius valituros. Ruit irreparabiliter domus,  
et machina toto convellitur, ejusque successio  
suae perennis desolationis incommoda perenniter  
deplorabit.

#### Cap. XVII

Karolus, Romae quoque senator lectus, multa praeclara  
facinora in improbos perpetrat, et rebelles  
omnes sibi subjecendo curat.  
Post consummationem multi laboris et utilis,  
post devictos et triumphatos ecclesiae inimicos,  
ascita regis prosperitas apud Neapolim sedentis  
in suaे solio majestatis fulgoribus undique victoriae  
glorioso, ipsius fidelitatis devotione totum  
jam relucente per regnum, novis victoriis, novis  
ac gratis successionibus est adaucta. Urbis enim  
statim recuperat sine grandi fatigacione senatum,  
et in senatorem victoriosus assumtus, senatoriae  
titulum ceteris suarum dignitatum inscriptionibus  
aggregat et conscribit. Verum inter alia aequitatis  
opera, hoc suis principio temporibus actum fuit:  
quod cum inibi adeo latronum audacia pullulasset,  
adeo manus invalescerent denuo praesumtrices,  
quod et romipetas, et quoslibet etiam viatores  
audendi taliter nequiret sibi praesumpta licentia  
latronica securitas depraedaret, et dormientium  
quieta silentia, qui, exercitiis fatigati  
diurnis, somno jam cooperant sepulti quiescere,  
avida eorum anxietas perturbaret, et non solum  
confringere ostiorum repagula nocturno tempore  
molirentur, sed tectorum ad interiora domus aditum  
intentarent, latrunculos hujusmodi provida  
regis justitia, quam rectitudinis manus tunc in  
statera librae gestabat appensam, sic compescere  
studuit, sicque poena media castigare, quod  
plusquam ducenta frusta funium suspensorum  
in superiori ligno patibuli anni revoluto circulo  
sunt comperta. Sic ubi res taliter agitur, et felicitati  
regiae totus orbis applaudit; nonnulli  
barones de Calabria, quorum rebellionis error  
obduxerat, cum jam non possent fidelium de contrada

validae instantiae repugnare, nec squamas  
vellent ab oculis abjicere coecitatis, nec ad regiae  
lucem fidei de sui erroris nubilo redire, curarent  
apud quoddam castrum in Apulia, quod Gallipolis  
dicitur, ea intentione praemoniti, ut, quando  
vellent, valerent in Romaniam, cuius montes  
castrum illud respicit, convolare, pro suarum  
personarum tutamine se receptant; quos demum [Page 286]

dura obsidione fidelium circumseptos, et  
tandem, sicut lupus in subterranea cavea, captos,  
puteus ille judicii et interitus, qui consuevit alios  
absorbere consimiles, ad se traxit, et illorum  
cuique numero XXIV mortis supplicium intulit  
et ingressit. Hinc est quod geminatur ubilibet  
subditorum fidelitas, et dum ubique per regnum  
quilibet nititur per fidelitatis officia, concusso  
rebellantium capite, complacere, ultiro se contra  
nondum reversos ad fidem parat, et in eos,  
quos modica infidelitatis infamia forte notabat,  
usurpat sibi gladii potestatem; quo imprudenter  
assumto, vel presumto potius, quilibet habens  
vel resumens jam potentiam aliqualem abuti  
non metuit, sed hos absque prolatione sententiae  
damnat et perdit, illos exorbat, alios mutilat  
motu propriae voluntatis, quosdam spoliat,  
quosdam revendit et fugat audax praesumto plurimorum,  
omnesque sibi jus in propria causa  
dicunt, et bona fugientium et caesorum quasi licenter  
occupant, et usque hodie nonnulli taliter  
detinent ita occupata. Proinde majestas regia  
diu quondam et varia infidelium persecutione jactata,  
considerans quos ad laudem trahi non  
poterat vindicta mediocrum et minorum, tum  
pietatis remedio, tum indulgentia beneficio et  
lenitate jussionum revocat ad se, si valeat, usquequaque  
rebelles; ac, volens dignitatis suae potentiam  
parere humanitati et justitiae, non dolori,  
ne odiorum livor edax, qui totam contratam  
sedula corrosione vastabat, luxuriaret ulterius  
insolenter, subjectos, quos spontaneus poterat  
sine bellico labore subigere, ad misericordiae  
gratiam admittebat. Contra eos vero, qui,  
erroris in coecitate contumaciter et voluntarie  
persistentes, corruptae mentis experiri conabantur  
proclivem ad pejora prioribus voluntatem,  
quosque non poterat benignitatis mansuetudine  
cohibere, taliter suae magnificentiae resistebat  
objectu, quod rebellium obstinata protervia, et  
furor ferventium animorum denuo in suis cautibus  
tundebantur.

Cap. XVIII  
Karolus Guillelmum Standardum in Siciliam mittit,  
qui, suope ingenio ferox, pluribus interfectis, Augustam  
cum Gallis suis obsidet; quam quorumdam  
civium proditione captam depopulatur, atque  
incolas fere omnes neci tradit.  
Destinat regalis providentia capitaneum in  
Siciliam quemdam Guillelmum dictum Standardum,  
cum electa comitiva equitum gallicorum.  
Talem enim exigebat praelatum Siculorum docta  
nequitia, quibus jam inest a natura rebellio  
et facilitas querelarum. Hic enim Guillelmum vir  
erat sanguinis, miles atrox, pugil ferox, saevusque  
pugnator, contra infideles regios omni crudelitate  
crudelior, et totius pietatis et misericordiae  
vilipensor; coepitque hiante gula, velut lethifer  
hydrus, lacus ranarum Siciliae circuire. Sed, [Page 287]

etsi merito infidelium sanguinem sitiebat, nonnullos  
tamen immeritos vel non demeritos, sine discretione  
sexus et aetatis ultimo, immaniter supplicio  
comprimebat. Postquam sane in Sicilia dictus  
Guillelmus multitudinem fidelium adunavit, Augustam  
quondam Caesaris civitatem, quam inter

Cathaniam et Syracusiam juxta maris litus instructam  
undique aquae marinae angustat circuitus,  
ea parte dum obsidione perurget, qua  
per modicum terrae spatium patet aditus ipsi  
terrae, ubi castrum quoddam intercidit aditum  
ipsum, adeo quod ad terram ipsam accedi non  
postest, juxta muros ejusdem castri, vel per postem  
seu pusterulam partis posterioris ejus, per  
quam ad castrum ipsum quis ingreditur, et ad  
terram. Hanc quidem civitatem plus quam mille  
bonis vires incolis habitatam ducenti equites thusci,  
ex iis, qui cum domno Frederico et Corrado  
Capucio de Tunisio venerant, pervigili custodia  
conservabant. Verum quidam ex majoribus  
terrae praedictae, qui se infra ejusdem castri,  
quod jam expugnabatur ab exteris, munimenta  
reduxerant, dolosae fraudis excogitantes commentum,  
quo vitam suam multorumque possent  
mortibus sub grata pactione redimere, cum foris  
vastaret eos gladius, intus timor, tractatum de  
aperienda hostibus pusterula supradicta, et de  
concedendo eis per castrum ipsum liberum ad  
terram ingressum, cum exteris habuere. Recepta  
igitur firma de personarum salute, ac rerum  
conservatione ab hostibus sponsione, Thuscis et  
aliis miseris ignorantibus, seu maiores de recollectis  
in castro, in castrum ipsum aliquos animosos  
de exercitu exterorum, reserata pusterula,  
introducunt illisque animosis taliter introductis,  
singuli de castro, et omnes alii infra terram,  
qui arma sumserant, vel poterant se armare,  
proditione hujusmodi jam detecta, per diversoria  
terrae diffugiunt, et fugientes per vicos terrae  
cum grandine disperguntur, latitant armis  
depositis, sub stillicidiis, in foveis, et cisternis.  
Frequenter tamen nonnulli, cum omnibus jam  
deessent terrarum omnino remedia, quae non poterant  
aliter petere, nisi per medios hostiles gladios  
pertransirent, maris praecipitia intentabant.  
Sed frustra, dum latitant, vitae quaerunt  
sub quadam prorogatione diffugia: nam in omnem  
eventum erant necessario mortem crudelissima  
perituri. Nihilominus tamen ibi se quilibet  
in fugam praecipitat ubi casus levior apparebat.  
Agreditur ergo castrum, et terram, dato  
totaliter aditu, totus exercitus, et Standardus.  
Hi, inquam, tamquam leo furens, qui feritate  
praeconcepta superbiat praevismam ardens in  
praedam postquam eam saevis unguis tenet, anxie  
laniat et trucidat, totam discurrentes tremendo  
per terram, omnes, quos in biviis, aut  
quadrivis, vel in domibus inveniunt se palantes,  
seu nondum etiam latitantes, sine qualibet pietate  
dilacerant et extinguunt. Cumque majori  
parte incolarum, ut praemittitur, latitante,  
paucos obviam gladius gallicus inveniret, Gallici,[Page 288]

non aliter quam canes ad cervos odoratibus  
eruditi latitantes, hauriunt sicut aquas homines  
ex cisternis et de foveis sicut granum; hosque  
compertos ad locum judicii, ubi supra ripam  
maris saeva lictoris manus ense lato et curto singulos  
adductos contingere non pavescit, binos,  
ternos, senos, et quandoque denos, nullos vestitos  
vestibus, sed tantum propria indutos coria,  
vel potius quemlibet sua pelle coopertum, secundum  
occurrentium numerum, conducebant, quos  
prompta lictoris atrocitas unatim adducto gladio  
comprimebat. Et si quando uno ictu caput non  
statim labitur a cervice, immanis lictoris audacia  
caput recipit cum sinistra collapsum, cum  
dextra vero latum cultrum accipiens et acutum,  
tandiu nervos secat et corium non incisum, donec,  
avulso capite a cervice, fiunt a corpore duo  
frusta. Caput et truncum acris lictoris jactus

super ripam ipsam in arenam maris dejicit et acervat. Sed aequitatis ad haec et rectitudinis dignum audite judicium. Quando dictos sex viros, qui pro comparanda patriae salute tot excidia concivium proditorie procurarant, quasi procurati amaritudinis calicis praerogativa donatos, gladiatoris ensis, cuius aciem inibi nondum rubigo sanguinis macularat, vivos excipit et excidit, ac restituit obtruncatos, sicque una die sub eodem carnifice pereunt cum proditis proditores: sicque pereat omnis ille, qui fraude vel dolo prodere nititur patriam et concives. Aestuat, inquam, lictor in caede tot immanibus ictibus fatigatus; sed nondum caede peracta, tribus stomachum aestuantem magnis potibus humectavit. Non remansit in terra vir, quia omnes terrae incolas et Thuscos praedictos unus ejusdem lictoris gladius interemit, exceptis quibusdam, quos una sagittina XXIV remorum erectos ab hostium gladiis vivos excepit. Tandem cum multorum confluentia gravaretur, nec molem posset fugientium reportare, illos Neptuno et piscium agminibus commendavit. Quae autem mors reputari possit immanior et pestilentior, aut gravior vel acceptior, aut quam hostium infert saevitia, vel quam maris habet improvisa turbatio, scilicet, ut loquar brevius, mori sub gladio, vel sub aquis, non mecum, sed cum aliis disceptate, legentes. Ego, vanis frequenter utriusque vicinus, et expertus utriusque pericula, per ejus gratiae misericordiam, quae qui cuncta creata conservat, usque nunc per discrimina multa infelicitatis evasi. Augusta itaque ubique angustatur angustia, ut non ulterius ab augendo vel a Caesare Augusto, sed ab iis, quibus angustata est, angustiis nomen trahat. Haec Naim usque hodie caris habitatoribus desolata, ne tamen locus fertilis et amoenus omnino redderetur incultus, et inutilis regi suo, rehabitari coepit ab antiquis inquilihis. [Page 289]

#### Cap. XIX

Guillelmus Standardus ad Conturbii castrum obsidionem procedit, quo Corradus Capucius confugerat.

Auxilii spe amissa, incolae se ac Corradum hosti dedunt, qui statim illum, avulsis oculis, suspendit. Martinus ac Jacobus Capucii Neapoli pariter sunt interempti. Fredericus Castellae, cum Standardo collocutus, una cum Theutonicis suis Hispanisque, Tunisium petit, ibique fratris sui Hispaniae regis jussu interimitur.

Augusta in viduitatis vestibus lugubre commorante in vastitate moesta, tantorumque mortes deplorante concivium, Standardus praedictus, ex praeterita caede superbus, de modo felicis successus elatus, versus castrum Conturbii, quod frequenter propter inhabitantium incostantiam et volubilem voluntatem rebellionis contra quemlibet regem Siciliae calcaneum erigens, jam pluries decorum habitationis amisit, cum toto exercitu memoratu anxius ad ulteriora festinat. In dicto namque castro Corradus Capucius, certus jam de interitu Corradini, cum quatuor Thuscorum comestabulis, et aliquibus Theutonicis, propter loci fortitudinem, qui nec aggressu, nec obsidione faciliter expugnari poterat, se reduxit. Quo quidem valida hominum instantia, seu densis sepibus, angustato per girum, cum jam interiores obsessi de omni succursu et subsidio desperassent, nec haberent vires, perditio capite, de cetero valituras, comestabuli Thuscorum, et duodecim majores castri de prodendo Corrado praedicto, et tradendo gallicorum judicio, machinationis fraudem invicem cogitarunt, ac, conspirationis inter se foedere roborato, tractatum cum Standardo

pro personarum suarum salute, quarum nullam misericordiam expectabant, si eos aliter manus gallica comprehendisset, saepe fato Corrado inscio per dies aliquos tenuerunt. Demum quibusdam pactis, quibus nonnumquam fides infringitur, vel pollicita non servantur, hinc inde vallatis, praedicti conspiratores ad porticum ecclesiae, ubi memoratus Corradus pro eo stupefactus animo et corpore morabatur, quod jam omnimodam certitudinem de conspiratione receperat, et machinatae presagia proditionis habebat, ac casum gravem imminere sibi, ex judiciis autumabat, succincti gladiis accesserunt. Verum Corradus praedictus, antequam sui conspiratores in eum manus injicerent, videns eorum mutatas facies, quibus mos est praecognitum crimen pandere vultibus, dum idem conspiratores vellent eum quibusdam verbis excusationis in peccatis excusandae perungere, et tyndiaca palliationis frustra propinatum abolere venenum, non passus eos praeloqui, surgens ait: "O socii, o domini, verbis, ut video, non est opus ultra. Scio quid in me cogitaveritis, scio quid estis acturi. Unum, oro, quod, si pro exhibitione personae meae tantum omnes potestis evadere, et de personarum vestrarum, et rerum salute promissa cautum [Page 290]

est vobis, ecce in mortem statim ibo libertius. Sed debetis firmiter credere, et tenere, quod, si ego dux et caput excidio peream, vos sine dubio peribitis una mecum, nec vos fides promissa tutabitur, nec servabuntur vobis stipulatae foedera pactionis, sed, rupto libello polliciti, experta fraus gallica cetera violabit. Nescitis, quoniam ii, quibus favere multiplicium triumphorum fortuna jam coepit, cum denuo expectent ulterioris incrementa victoriae, sive dolo, sive fraude, cum possint, amplis seducunt pollicitationibus inimicos. Non enim refert quocumque modo suum ex hostibus habere quis possit intentum. Vestris ergo caute providete compendiis; et, si ita est, quod omnino creditis mihi mortuo supervivere, ac propter unius mortem salutem redimere plurimorum, iterum dico de persona mea ordinate quod placeat, et de me vestros exequimini cogitatus". Illi ad haec: "Domine, licet nos taedeat, inevitabile tamen est quod sumus acturi. Vobis autem displicere non debet, si per quamcumque viam salutis nostrae remedia procuramus. Forsitan et vos ipsi salvi eritis, Domino favente, quia Standardus multa nobis cum benignitate promisit, si absque labore sui exercitus nos suis beneplacitis supponamus. Equitatis ergo, si placet, et cum humilitate ad eum nobiscum descendite, nec de ejus gratia desperetis". Considerans igitur dictus Corradus, quod sic eum pati necessario oporteret, et attendens quod omnes stipendiarii sui, pro quibus similiter inita pacta erant, mentis et jurisjurandi religione violata, intendebant ad comestabulos, et ad alias factionis actores, adductum sibi roncinum metu hebes ascendit, et mutus incedit, et ad tentorium Standardi, veluti quando bos unicus eligitur de toto grege mactandus, et cum ipso grege ad macellum, qui alias solus non accederet comminatus, sic idem Corradus adducitur non ligatus. Hujus itaque oculos statim Standardus absque ullo judicio mandavit evelli, evulsisque oculis, Cathaniae in altis praeter morem furcis juxta litus maris solitarius alligatus, dimisit in aëre vitam suam. In signum autem ejus, quod fuerat militiae cingulo decoratus, scutum suum splendescens coloribus fulgorosis vitri perlucentis ad instar suspenditur cum eodem. Martinus quoque et Jacobus Capucii,

milites fratris ejusdem Corradi, pulchritudine  
ac statura decori apud Neapolim via Capuana  
eodem suppicio per regis sententiam perierunt.  
Sicque illos unus uterus, una fides et  
passio vere fecit esse germanos. Cumque inter  
haec dominus Fredericus, qui unus ex principalibus  
impetitoribus Siciliae tum supererat, nondum  
tamen expugnata Sicilia tribulis Hispanorum,  
cautelose sibi et suis providens apud Agrigentum  
ea intentione, relicta terris, quae sibi  
adhuc respondebant, sine munimine et custodia  
personarum, cum omnibus Hispanis, et superstitibus  
Theutonicis configisset, ut, cum, vellet,  
posset per mare fugere in Tunisium, unde venerat,[Page 291]

Standardus praedictus, non sine regis conviventia,  
cum eo habuit absque ulla sua gentis  
fatigatione tractatum. Ultimo inter eos ventum  
est ad hanc pactorum concordiam, quod domno  
Frederico praedicto una de pacto tantum galea  
conceditur, et donatae sunt sibi ducentae unciae  
pro expensis. Sed istas forsitan uncias pro equis  
recepérat, quos de pacto ipso dimisit, et cum iis  
rebus, quas potuit asportare, assumptis sibi Theutonicis  
et Hispanis, in ejus nomine, cui praestabat  
obsequia, in Tunisium remeavit. Tandemque  
regis Hispaniae fratris sui damnatus judicio,  
morte crudelissima exspiravit: tendebat enim  
vita sua semper ad malum, et ideo fuit ejus, malis  
eum insequentibus, malus finis.

Cap. XX

Karolus, regina uxore Neapoli mortua, Burgundiae  
ducis filiam dicit. Clemens interim papa IV Viterpii  
decedit. Karolus Luceriam Sarracenorum postquam  
obsedisset, capit atque penitus evertit. Philippum  
de Monte-forti vicarium deinde in Siciliam  
mittit, qui Salae Calabriae castro, quod Fredericus  
comes lancea tuebatur, ex itinere potitur.  
Sed, dum undique grata regi felici prosperitate  
luxuriant, et civitates et loca nonnulla, totamque  
Siciliam motus spontaneus ad devotionem  
regiam absque bellico labore convertit, regina  
Neapoli cursum naturae consummavit, et, terminum  
dierum suorum attingens, debitum humanitatis  
exsolvit, et, utriusque sexus decora prole reicta,  
in majori neapolitana ecclesia tumulatur.  
Ex filiabus sane suis una tradita est filio comitis  
Flandriae in uxorem; secunda demum Philippo  
nato imperatoris costantinopolitani matrimonio  
copulatur. Cumque nobilium Gallicorum  
sint mores, quod unica contenti non sua  
pudicitiam non intentant, nec se ut plurimum  
cum aliis mulieribus dehonestant, statim rex  
praedictus, quamquam de cara consorte nuper  
conjugali deperdita tanquam in carnis abscissione  
doleret, considerans tamen quod regina dies  
ejus in foecundae sobolis propagatione compleverit,  
et vitam in sobolis foecunditate dimiserat,  
funerum uxoris oblitus, per nuntios firmat cum  
duce Burgundiae parentelam, et de filia ducis regio  
copulanda conjugio foedera per literas invicem  
roborantur; quam praedictus Burgundiae  
dux, multis in subsidium regis associatos equitibus,  
postmodum regi personaliter transduxit in  
regnum. Interea sanctissimus pater dominus Clemens  
papa IV, cuius favor et gratia omnibus actibus  
regem Karolum tutabatur, apud Viterbiū vitae  
chirografo resignato, creditum naturae reddidit,  
quod mutuo receperat ab eadem. Sub istius sane  
tempore creverunt facta regis denuo sub triumphis;  
et eo victoriae palmam ex hostibus ecclesiae  
feliciter consecuto, fuerunt ejus primordia  
prospera, secunda; finis variis et innumeris felicitatibus  
usque ad multa tempora gloriosus. Eoque[Page 292]

sublato de medio, qui regis negotia prosequebatur  
affectione paterna, cum adhuc nidus et cavea  
Sarracenorum Liceria in rebellione persisteret,  
ac totam fere Apuliam subitis et improvisis  
cursibus molestaret, rex praedictus demum  
personaliter civitatem ipsam obsidione circumsepsit  
et angustat; et, obsidione firmata, tot aggressibus,  
tot instrumentorum generibus, totque  
impugnatoriis machinis tamdiu, tam dire, et  
tam dure Sarracenos coercuit et restrinxit, quod  
eorum majori parti victus et fere vita defecerat.  
Sicque, dum multi ad colligendum herbas frequenter,  
quibus sicut bestiae pascebantur, exirent,  
nonnullos, qui prae jejuniorum et famis squallore  
jam hebetes infra terrae ambitum se non poterant  
pedibus praepetibus receptare, trucidabant insidiae  
Gallicorum, nonnullos etiam, ut eos pro  
servis venderent, conservabant. Verum, dum aliquando  
occisorum viscera studiose invadentium  
manus immaniter rimarentur, plena tantum  
herbis reperiebant corporum intestina. Tandem  
cum pauci juxta consuetum numerum, quem docta  
manus exercitus cotidie defalcabant, infra  
civitatis ejusdem moenia remansissent, et iis extantibus  
victualium rerum et personarum etiam  
non crescerent, sed deficerent semper exhortia,  
qui supererant per vim et metum, qui satis potest  
constantes afficere, se omnimodis regis, benplacitis  
commiserunt. Mittitur postmodum vicarius  
in Siciliam dominus Philippus de Monte-forti, homo  
bellicosus, et statura placibilis. Adhuc enim  
eo in Siciliam properante, comes Fredericus Lancea  
germanus quondam Galvani castrum Sali,  
quod est in Calabria, situ fortissimum, contra fideles  
regios defendebat, quod demum multitudine  
fidelium exacta obsidionis instantia circumseptum  
comes praedictus fidelibus regiis sub pactis  
restituit et dimisit, et ad mare incolumis de pacto  
conductus in Romaniam postmodum transfretavit.

EXPLICIT

LIBER QUARTUS.[Page 293]

INCIPIT LIBER QUINTUS

CAPUT PRIMUM

Ludovicus, Gallorum rex, in Terrae Sanctae subsidium  
magna classe profectus, tempestate exorta, ad  
Tuneti litus projectus est: quo quamplurimis triremibus  
rex Karolus quum appulisset, ambo infideles  
pugnare conantur. Pestilentia interim in castris  
orta, Ludovicus filiusque, nec non suorum  
plerique, multique proceres atque magnates, diem  
supremum obeunt.

Medio vero tempore, cum nondum esset ecclesiae  
romanae de pastore provisum, Ludovicus  
rex Francorum, vir inclitus, dotatus bonitatibus  
multis a Deo, regum candela fidelium, signo ab  
olim vivificae crucis assumto, collectis christianorum  
undique viribus, generale in Terrae-Sanctae  
subsidium passagium stabilivit. Hic namque  
pro tuitione et exaltatione fidei, pro conservatione  
obedientiae sedis apostolicae, quae persecutionibus,  
Deo volente, non imminuitur, sed  
augetur, paratus semper ad acerrima sustinenda  
pericula, potentiam suam terra marique distendens,  
alias barbaras nationes fidelibus odiosas  
impetere consuevit. Nunc autem idem rex,  
quem solum Dominus pro ecclesiae sua custodia  
collocaverat, ad inimicos crucis denuo se convertens,  
geminatis viribus et multitudine fidelium  
congregata, pro libertate illius Terrae-Sanctae,  
quam Redemptor humani generis propriis calcavit  
pedibus, pro redemptione quoque Sepulcri, ubi fuit  
Redemptor ipse reconditus, mari se cum navigio  
copioso commisit: qui dum freta circuit classibus  
fidelium numerosis, et coeptum iter principio

secundo concelerat, exercitu toto felici dato  
navigio, vota multitudinis versus orientalem plagam,  
ubi Terra-Sancta caninis manibus ancillata  
comprimitur, suspirabant. Sed, contra omnium  
vota, contra coeptorum facta, perverso numine,  
versus meridionalem axem fatigat exequi  
votum suum. Sicque fideles inviti tendentes ad  
Arabes, non ad Indos, dum coeptum superandi  
consilium potestas nulla conceditur, illius dispositione,  
cujus nutu res eunt, fatis fatigantur adversis  
et procellosis fluctibus feriuntur. Collecti  
tamen undique apud Tunisium coëunt; ibique  
coepto Marte frustra fatigantur et bello. Dum  
enim multa circa haec dementia eorum animi  
erant capti, non sentientes primas vires mutatas,  
nec advertentes perversa jam fore numina contra  
ipsos, nec cedentes numinibus provocatis, accensos  
insano Martis amore, cum nullam possent  
prosperam ex laboribus deferre fortunam, animos  
fatigabant. Fama igitur regi Karolo deferente,  
quod classis regis Franciae, totusque cruce-signatorum  
exercitus, jam in Tunisium tota  
convenerat, quodque prope Tunisium castrametati  
fuerant christiani, rex ipse Karolus, solutis [Page 294]

morae vinculis, cum moderato numero galearum,  
non qualem regem forte decebat, sed  
qualem illa imminens necessitas ac festinantia  
requirebat, illuc alis praepetibus convolavit. Res  
enim agebatur sua, ejusque praetextu, seu eo  
suggerente vel dante causam, rex Franciae tantum  
christianorum exercitum contra barbaros  
et Arabes compulerat sub tanto discrimine laborare.  
Rex quidem Tunisii, propter proximam  
rebellionem Siciliae multis mortibus consopitam,  
quemdam annum redditum, sive censem, quem  
regi Siciliae pro censu exhibit annuatim, ut victualia  
in Tunisium libere comportentur, et mare  
siculum remigare licite valeant Arabes, quando  
volunt, quodque barbari per Siculos piraticis  
non vexentur insidiis, regi Karolo per tres annos  
subtrahens denegabat. Ideoque rex Karolus affectans  
visitare ac visere partes illas, et haerentem  
profundae caveae colubrum virtute aliena convellere,  
tantum exercitum coire Tunisium sagaci  
studio procuravit. Verum, dum Gallici frusta  
invito numine confidunt totis cotidie campis densantes  
agmina clypeata, et armis populos instruentes  
instant cotidie assidue, ac cum infidelibus  
bellum ducunt, saepe certatim Tunisii muros  
circumstant. Sed canina progenies, nescio  
numine quo favente, velut pelagi rupes immotae  
resistentiam adhibent undequaque. Cumque omnia  
superba dispositione regantur, et regis aeterni  
cetera beneplacitis obsecudent, Ludovicus  
praedictus catholicae legis amator, propagator  
fidei, custos fidelium, et defensor ecclesiasticae  
libertatis, peccatis non suis forsitan exigentibus,  
in quo, secundum quod potest circa hoc humana  
fragilitas contemplari, vix peccati labes fecerat  
stationem, soluto interea vitae foedere, datoque  
mundi pompis libello repudii, de valle miseriae  
ad celestem patriam transmigravit. Per talem  
quidem obitum culpam ejus, qui tantorum sancta  
proposita fecerat, et pia vota suspenderat  
plurimorum, omnipotens misericors Dominus  
forsitan abolevit, pro votorum irritatione poenam  
inferens temporalem, expiavit aeternam, ut ulterius  
propterea spiritualiter non plectatur, ut  
poena temporalis hujusmodi pro tantae transgressionis  
inuria gravior inferretur, et nec culpa  
nec poena traducatur ad posteros, sed perenniter  
expietur, quidam ex filiis ejusdem Ludovici  
nimis propere cruda morte devictus fuit, intempestive  
paterna funera subsecutus. Nec minus

cum eo nonnulli procerum et magnatum, ignotae  
quoque multitudinis animae infinitae, mortis  
impellente violentia naturalis, propria corpora  
frigida dimiserunt.

Cap. II

Rex Karolus ceterique Siciliam repetunt: quo Terrae  
Sanctae iter ingressus tempestatis vi advenit quoque  
Angliae rex Odoardus.  
Extantibus ergo duobus liberis ex Ludovico  
praedicto, videlicet Philippo primogenito, qui[Page 295]

patri successerat in onere et honore, ac Petro  
comite Alansonis, rege Karolo cum eisdem ceterisque  
primatibus exercitus cum rege Tunisii in  
amicitiam coëuntibus, et foedera jungentibus similiter  
pacis, cruce-signatorum exercitus dispendiose  
dissolvitur, et facilit rimulas et scissuras turris  
tatae fortitudinis christianorum columna  
concussa, ex auro bibt arabico qui sitivit, et  
venundatis fidelium laboribus, ac opprobriose distractis,  
turba multa, quae denumerari non poterat,  
praeparata juxta litus navigia repetens,  
ponto proris exhibitis cum Karolo et Philippo  
litoribus applicuere Siciliae remeando. Verum  
Odoardus rex Angliae, volens adimplere quod voverat,  
et Terrae-Sanctae spe frustratae totius  
succursus et auxilii subvenire, quamquam venerit  
juxta Trapanum, sua tamen tantum classica,  
quae de periculo evaserat, recollecta, ad Aconensem  
civitatem, quae christianorum fota subsidio  
in illis partibus sola respirat in fide, remigio  
tuto festinat. Sed, ut pro tantae saltem damnosae  
praevaricationis assensu aliquid de poena  
juxta culpae modulum potissaret, apud Trapanum,  
quando in Siciliam venit, maris naufragio  
pene periit ex procella. Sed, eo propter vicinitatem  
terrae personam e naufragio educente,  
omnibus fere tum naufragio facto rebus, multi de  
conserva seu de caterva sua, consecatis abietibus,  
et cottis apertis, aequoris inundationum concussionibus  
perierunt, pro eo videlicet forsitan, quod  
excessu exigente culparum, autumnus asperae  
hyemi jam vicinus eos ibidem introcluserat Austro  
flante.

Cap. III

Philippus, Ludovici Gallorum regis filius, cum suis  
Sicilia proficiscitur. Regina uxor, quum praegnans  
prope Marturanum in Calabria flumen trajiceret,  
ex equo cadit, atque Cusentiam ducitur; ibique  
partu immaturo edito moritur. Hujus ossibus Philippus  
in Galliam missis, eique Cusentiae monimento  
exstructo, suum iter prosequitur.

Philippo itaque, qui post patris obitum jam  
fuerat magnificentiae regalis titulis decoratus,  
exercitui dissoluto et disperso praestante, tota  
gens de Sicilia petit citra fretando. Sed instante  
hyeme, uxor ipsius Philippi filia regis Aragonum,  
quae licet vir suus non esset inunctus, regina  
tamen Franciae dici poterat, volens sub  
marturanensi civitate superexcrescentem pluvialibus  
imbribus fluvium utero gravido pertransire,  
praesumta quadam virili audacia pereundi,  
equo corruit procumbente de sella; praevia tum  
multitudinem militum occurrente submersa non  
extitit, sed propter metum casus offensa lethaliter,  
et in ipso casu confracta, laesusque fuit uterus,  
antequam perveniret ad lucem, et offensus graviter  
partus nondum a maternis visceribus segregatus.

Ajunt enim partum fuisse semestrem, et  
ideo genitricis alvum a conceptionis hora semestri  
tempore laborantem ex casu gravius fore laesum.[Page 296]

Quapropter Cusentia semiviva traducitur,  
ubi tandem masculino abortivit in partu.  
Nam viro cum multitidine suorum procerum

convalescentiam ejus sibi studiosius expectante  
vel mortem, regina ipsa demum persolvit quod a  
natura receperat post abortum, et cum partu,  
quem a maternis visceribus casus violentia secuerat  
non completum, in majori tumulatur ecclesia  
cusentina. Ossa tamen elixa prius et qualibet  
carnositate mundata more majorum in Franciam,  
relictis in tumulo putribilibus, quae servando  
servari non poterant, demandantur. Fit  
sibi sepultura perpulcra digna memoria, materiae  
ac artis concertatione glorifica; et ad serviendum  
altari continue, juxta quod est hujusmodi  
regalis sepultura constructa, ordinatur perpetuus  
capellanus, centumque uncias auri dictus  
Francorum dominus pro emendis possessionibus,  
de quarum usufructu possit idem vivere capellanus  
cusentino, capitulo elargitur. Transiens  
post haec Philippus praedictus per romanam  
ecclesiam, quae adhuc erat in viduitatis solitudine  
constituta, gressus in Franciam properat,  
ut Francorum corda Ludovici obitu forsitan  
alterata confoveat, et sacram regis recipiat unctionem.

Cap. IV

Karolus rex, dies festos Neapoli celebrans, quamplurimos  
equites militesque legit.

Jam requie data certa laboribus, rex Karolus  
bellorum cura nequaquam, sicut videbatur, ulterius  
fluctuans, cum jam infinito coacervato  
thesauro, et pretiosis quibusque compositis, cotidie  
cerneret regales redditus ampliari; ut filios  
militiae unda renasceret cogitavit, et ramum verisimiliter  
olivae paciferae manu gestans, et viam  
studens subjectis variis laboribus aperire, regali  
mandat edicto, ut officiales ubique per regnum  
merita causarum in statera justitiae metiantur;  
et, exhibens singulis gratum sermonis exenium,  
et dulce verborum omnibus blandimentum, quasi  
modo regni coronam acceperit eminentioribus  
contextam titulis dignitatum, se totum in alveum  
sanctae meditationis includit. Aestuantibus ergo  
regiis ad digna praecordiis et flagrantibus votis  
ad justa, dum omnia quodam jucunditatis applausu  
secum felicitatis auspicia sortirentur, ex  
nobiliaribus totius regni deligit juventutem, cui  
subserviat aptitudo militiae et quae digne possit  
cum filiis honore tantae militiae decorari. Sicque  
apud Neapolim celebrandae per totum regnum  
de tantae solemnitatis indicto, et multa propterea  
pecunia recollecta, quam in militiis et conjugiis  
filiorum regum, regeque movente bella  
contribuere consueverunt regniculae, in apertis  
campis juxta monasterium Sancti Petri ad Aram  
fit apparatus solemnis, qualem decet dominum  
triumphantem. Ambitus enim ampli spatii circularis  
murorum vallatur sepibus et structuris,[Page 297]

fiuntque diversa spectacula circumquaque variaeque  
sedes et stationes in gyrum dignitates distinguentes  
et sexum, et in statu magnificentiae suaे  
quemlibet annotantes. Convenientibus igitur ad  
novam tripudiorum laetitiam ceteris regni nobilibus,  
per multos dies militiae tempus gaudia festiva  
percurrunt, multaeque vigiliae non in jejuniis,  
sed in parilitate solatii, praeveniunt diem  
festum, et eum anticipata solemnizant.  
Rex autem magnificentiae corona sublimis, aureo  
vero diademate coronatus, ad throni fastigium  
ad apicem excellentis dignitatis assumtus, sublimiora  
spectacula insidebat, qui omnem joculatorum  
aspectum in jubilatione transcurrentes ad  
singulos respicit, et officiosa notat obsequia singulorum.  
Et dum stat super tribunalia comitum,  
super fastigia nobilium et baronum propter magnificentiae  
titulos solemnius collocatus, sedet  
aliunde a dextris suis regina in vestitu deaurato

circumamicta varietatibus; et non solum maritatae,  
sed virgines, quas simulabant gemmata serta  
reginae, in speculam regis quandoque adducuntur  
in laetitia et exultatione post eam. Frequenter  
enim disposita processione psallentium  
in medio campi et circuitus, tota suo jure curia  
praecedente, rex reginaque sequuntur cum multis  
agminibus, quas vestes tegebant splendidae ac  
diversis coloribus radiosae. Cum nobilissima etiam  
et praeclera familia rex ipse nonnumquam  
psallentibus festivus occurrit. Exeunt in campum  
nunc proceres, nunc barones, et aequati  
euntes numero regem canunt, totaque obviat  
multitudo distincta gemmis et auro, purpura et  
byssso suscipiunt indumenta. Nonnulli sane nobiles  
singulis diebus solemnitatis hujus exuunt vestes,  
quas ceperunt, histrionibus donatas, aut,  
relictis exuvii, in ipso tripudii strepitu magis  
pretiosa denuo sumunt et nova mutatoria indumenta.  
Sicque redimitus uterque sexus occurrit,  
per joculatorum quoque varia obsequia cantus  
ubique concrepant, modulantur et organa; ibi  
lituus, cletaria, et viola omniumque genera musicorum  
hymnum concinunt triumphalem, et cujuscumque  
cetilis officium jubilationis cantica  
modulatur. Verum, dum omnium jucunditatis et  
laetitiae specie totus ambitus murorum applaudit,  
quorum intrinseca facies nihilominus sericis  
pannis erat operta, per vicissitudinem graduum  
omnium, si fuisses, mirareris incessum. Haec  
sunt vexilla victoriae, insignia titulorum, et gloriae  
certitudo, quorum abyssu rex reginaque adeo  
velabantur, quod ipsa tripudii magnitudo regem  
et reginam cantus movebat in vocem, sibi invicem  
complaudentes. Celebrantur ergo dies in jubilo, et  
sumtuosi defluunt gaudiorum, ac quicquid potest  
gaudii mens discreta conjicere, totum hic cogitet,  
totum hic arbitretur impendi. Cingitur demum  
militiae cingulo post tyrocinii lavacrum Karolus,  
velut annis majusculus, prius cum centum juvenibus  
subsequentibus. Karolo quidem tamquam decoro  
et excrescenti filio, qui cum esset elegantioris  
formae juvenis, ad tenendum fuerat locum patris[Page 298]

ascitus, rex praedictus principatum Salerni,  
extra fraternalae sortis funiculos peculiari liberalitate  
concessit. Qui cum crevisset in annos, mansuetudinis  
et innocentiae bonum de fontis puritate  
conservans, mentis juvenilis hospitium virtutum  
denuo studuit familiaritate replere. Nutravit  
animum rebus honestis, et foecundatus est adeo  
bonitatibus, quod ejus dotes virtutum claudi sub  
numero nesciverunt.

Cap. V

Karolus Hungariae regis filiam filio suo dat nuptum.  
Ut autem regiae propaginis funiculus extendatur  
in aevum et sua crescat in ramos propagatio  
successura, filiam regis Hungariae principis  
connubio rex conjungit, et in thorum procurat filiale  
adduci. Sicque princeps et filia regis Hungariae  
individuis nexibus connectuntur, cum vix  
egregius sanguis in orbe tunc esset, qui non eundem  
ex derivatione ..... linea contingenter aliquali.  
Igitur reges absentes hac de causa se invicem  
honore praeveniunt, et gratis hinc inde sibi  
muneribus blandiuntur: regique Hungariae,  
qui bellorum sollicitudine premebatur, aliquando  
rex Siciliae propterea militum subsidia destinavit.

Cap  
VI

Rex Karolus, imperii vicarius delectus, Romae gebellinos  
persequitur, quibus postea omnibus veniam  
largitur.  
Verum ecclesia romana nondum suae viduitatis  
consolata gemitibus, cum sua quisque regat

diverso flamina tractu, quin lanient mundum,  
tanta est discordia fratrum, dum metuit velut  
navis in pelago sine remige, quamvis aura tranquillitatis  
aspiret, constituit regem Karolum vicarium  
imperii in Thuscia generalem. Hic nempe,  
sedatis cujuslibet amaritudinis fluctibus, regnoque  
disposito in statu summae tranquillitatis  
et pacis, ad reprimendos gebellinos Thusciae  
nondum domitos, sed contra partem ecclesiae  
plus solito superbos, suae sedulitatis vota direxit.  
Gebellini namque in Thuscia monachorum ad  
instar abbate parentium, capite perduto, extra  
suos limites crassabantur, et evagantes sine correctore  
per Thusciam adhuc extranea conventicula  
faciebant. In tota enim Thuscia civitas lucana  
sola supererat, ubi erat fortior pars guelforum.  
In aliis vero locis adeo invaluerat gebellinitatis  
gibbus, adeo iniquitas abundarat, quod gebellini  
denuo in expectatione novi temporis exardentes,  
nunc ingeniosa virtutum, sed vitiorum potius  
assiduitate non modicarum coacervatione virium,  
nunc dolo vel fraude sub pacis et treguae specie  
perquisitis, totam Thusciam malorum operum  
crepitibus flammis igne consumtionis bellicae [Page 299]

subvertere nitebantur. Verum inexscrutabile divinae  
justitiae libramentum ecclesiam suam non  
patiens radicitus omnino convelli, sed disponens  
eam taliter, quod semper radices contrahat in  
temporis amaritudine firmiores, ecclesiae athletam  
et fidei pugilem destinavit: misit Karolum  
sicut fulmen, qui montes constructos ad demoliendam  
ecclesiam, et gigantes etiam constructores  
cum viris ecclesiasticis bella moventes una  
hora fulminet et subvertat. Rex ergo Karolus, copiosam  
ex suis eligens comitivam, principe in  
regno vicario tamquam primogenito et herede  
dimisso, Romam primo repetens, rupem Tarpejam  
et Capitolii saxa victoriosus ascendit; fungensque  
vice senatus quasdam contra gebellinos  
Urbis dignas ultiones illatas gratificatione regia  
comprobavit. Jacobus namque Neapoleon, dux et  
magister gebellinorum, sub favore domni Henrici  
quamdam fortericiam in Campodeflore construxerat,  
quae Arpacata vulgari eloquio vocabatur.  
Hanc quidem fortericiam turrificatam circualiter  
per ejusdem regis vicarium guelfi Urbis dirui  
funditus procurarunt. Quaedam etiam turres,  
quas Petrus Romani in capite pontium Judaeorum,  
et trans, Tyberim pro fortificatione insulae  
Lycaoniae fecerat, similiter ejusdem vicarii  
sententia, Guelfis sibi assistantibus, corruerunt.  
His et aliis modis multae gebellinis fuerunt  
illatae jactrae, quas regis providentia conniventibus  
oculis pertransivit. Sed volens statum  
Urbis post gebellinorum verbera tranquillare,  
cum de more faciat pactum post verbera stolidus,  
et eis de regia benignitate pepercit. Tunc etiam  
consideratione reverendi patris domini R. Sancti  
Angeli diaconi cardinalis, quemdam Ricardellum  
militem civem romanum nepotem cardinalis  
ejusdem, qui tempore dispendiosae viduitatis  
ecclesiae castrum Ariani, quod est sedis apostolicae,  
occuparat, et sub castro illo in nemore  
famoso Algiarii multos jugulaverat Gallicos, et  
per quosdam suos latrunculos, quos fovebat, fecerat  
jugulari, suis parentem omnino mandatis  
regia mansuetudo recepit.

Cap. VII

Karolus, quum in Thusciam pervenisset, gebellinos  
omnes vincit profligatque, ac totam Italiam sub  
ecclesiae imperium redigit.  
At demum rex praedictus, ad gebellinos Thusciae  
se convertens, corda patris ejusdem adeo in

ejus terrefecit accessu, adeo guelforum animos  
roboravit, ut, antequam rex fines attingeret Thusciae,  
guelfi de Florentia, de adventu regis propinquo  
securi, animorum fortitudinem assumentes,  
resumitis contra gebellinos viribus, eos ejecerunt  
a terra, et per totam quasi dioecesim fugaverunt.  
Tandem regi sub vexillo ecclesiae in  
Thusciam vicariae aggredienti officium tota fere  
Thuscia tamquam vicario imperii se submisit.[Page 300]

Pisana etiam civitas, quae per trintas sex  
annos et amplius inobediens, et inde vota ecclesiae  
romanae persistiterat, et in infidelitatis devio et  
coecitatis errore per tempora multa duraverat,  
coacta quodammodo, redit ad ecclesiae unitatem,  
ac tandem ecclesiae romanae beneplacitis  
se subjiciens, quamdam societatis confoederationem  
cum rege praedicto variis pactorum vallatam  
foederibus, et solemnibus stipulationibus  
compromissam; pacem vero seu treguam cum  
Lucensibus, quibus post regis triumphum fortuna  
contra Pisanos jam triumphaliter arridere  
cooperat, celebravit. Venatore interea sanctae  
romanae ecclesiae per saltus et nemora Thusciae  
inobedientium vestigia passibus agrestibus  
insequente, nonnulli gebellini de diversis partibus  
Thusciae, quos delphinus noster imperii mare  
famelicis faucibus gulaque hiante discurrens  
velut agmina piscium ex diversis vadis in unam  
coëuntia massam, fugitivos et pavidos coegerat  
glomerari in castro Podii-Bonizi, tamquam in  
vase firmo sua receptacula firmaverunt. Qui cum  
propter castri fortitudinem, necnon et propter  
Senensem favorem, quibus castrum ipsum vicinum  
existit, nidum gebellinitatis ibi componere  
studuisserent, palliare suae superstitionis errores,  
si rex Karolus in Thuscia moraretur, sub temporis  
expectatione credebant. Contra hos itaque  
sic collectos rex praedictus, ut totius gebellinitatis  
finaliter bellantia vasa retunderet, quodque  
castrum ipsum fiat ultimum talis generis precipitum  
et vorago, nec fictitiae superstitionis caligo  
suis ulterius tenebrescat erroribus, totius partis  
guelfae, Lucensium scilicet, Florentinorum  
et aliorum de Thuscia nomen ecclesiae profitentium,  
exercitum innumerabilem coacervat. Obsidione  
sane hujusmodi per sex menses et amplius  
continue non sine sumtuosis laboribus perdurante,  
cum jam illius castri populus stolidus rerum  
victualium penuria premeretur, nec expectaret  
aliunde subventum praeter alias sponsiones et pacta,  
de pacto quod satis habitatoribus loci, qui  
non poterant ulterius se tueri, potuit esse grata  
montis illius habitatio, in habitantium poenam  
facta est omnino deserta et podium suis civibus  
desolativum; fuitque edicto perpetuo stabilitum,  
quod in colle illius podii, qui quando mons se  
eminenter erigebat in tumulum, tanto in vanum  
tumorem superciliis vehebantur, resumere quoquo  
modo habitationes in ipso podio, perpetuo non  
valerent, sed sub montis collibus et in plano novum  
pro se et successoribus suis facerent incolatum.  
Igitur rex praedictus gebellinis usquequaque  
devictis et dura recipientibus fraena maxillis,  
totum Italiae regnum in ecclesiae rededit  
imperium, et sedis apostolicae districione submisit.[Page 301]

#### Cap. VIII

Gregorius X papa legitur: qui, Lugdunum ad concilium  
quum pergeret, Karolo totius Italiae gubernacula  
relinquit.

Pluribus ergo temporum curriculis evolutis,  
divina potentia, quae, suis incircumscripta finibus,  
omnem intellectum transcendent humanum,  
volens perituri mundi quae praecurrerant mala

devincere, hac sedavit fratrum unitate discordiam,  
quod quedam nomine tunc Theobaldum Leodiensem  
archidiaconum, qui ultra mare in Terrae-Sanctae  
favorem peregrinus accesserat, et  
cum domino Odoardo inibi morabatur, ad summi  
apostolatus apicem, ad sanctitatis fastigium,  
beatitudinis solium, dicti fratres per electionem  
concordem unanimiter evocarunt. Hic namque  
singularitate virtutum et spiritualibus vitae stipendiis  
Deo militans, nomen ex re complevit,  
ut ex officio nominis sequeretur titulus dignitatis.  
Ex theo namque grecce, latine Deus, et  
baldus, quod sequitur, prodit interpretatio gloriosa,  
ut videlicet Theobaldus dicatur ex sanctae  
voluntatis fragrantia Deo datus, vel ad Dei  
servitium dedicatus. Ecclesiam enim Dei, contra  
quam denuo tyrannidis novo satellitio ex humana  
fragilitate pugnatur, et extraneis vexata  
stimulis semper invenit contra quos pugnet, in  
multis laudabilibus beneficiis restauravit. Quae  
cum propter pastoris diuturnum defectum divinis  
quodammodo extenuata doctrinis, necnon et  
propter cognatam humanae imbecillitati malitiam  
in suis concussa parietibus vacillaret, dum  
sanctus de terra sanctitatis advenit, quem devota  
fidelium desideria suspirabant, ex hostibus occultis  
et patentibus feliciter triumphavit. Sub ejus  
namque tempore, qui fuit non sine Dei ministerio  
Gregorius X nuncupatus, idest gregis dominici  
rex et pastor, saecula fere facta sunt aurea,  
lateque per universum orbem religio coruscavit.  
In eo sane, qui, tamquam nitidus puritatis  
rivulus, de fonte sordium primi parentis  
arida mundi clima rigaturus advenit, quamdiu  
in apostolatu vixit, nihil torpens otiositas vindicavit,  
nihil suo tempore inanitas curiosa praesumsit.  
Hujus etiam patris sanctissimi favor regi  
praelibato non defuit, sed semper affuit gratiosus.  
Nam, cum inniteretur nimium strenuitati  
regiae, Lugdunum accedens, ubi concilium generale,  
in quo papa malorum consilia multa solus  
poterat praevenire, maxime pro succursu Terrae-Sanctae,  
per universum orbem christianitatis  
indixerat, totam regiae providentiae commisit  
Italiam, et sub ejus directione dimisit, ut impleret  
totum sibi commissum vicariatus officium,  
sicut prius.

EXPLICIT LIBER QUINTUS[Page 302]

#### INCIPIT LIBER SEXTUS

##### CAPUT PRIMUM

De violentis exactionibus Karoli atque gallorum  
officialium in regno.  
Cum autem inter haec crederetur quod regi,  
qui ferro tot dierum millibus dimicarat, totum  
sui desiderii pondus circa reparationem regni, et  
suorum fidelium, imminaret, illudque in libra utilitatis  
appenderet, armisque deinceps justitiae  
concertaret, ac, sedatis fluctibus subjectorum, sub  
juris tramitibus in pace conquiesceret, duo secum  
bella durissima et inexpugnabilia inchoavit. Ex  
quorum altero, cum non sit tam sanae mentis  
aliquis, aut adquisitae probitatis, quem tenebrae  
coecae cupidinis non confundant, se suis  
non contentans assisiis, factus est cupiditate promta,  
et in extorquendi promptitudine cupidus et  
avarus. Sicque, affectus thesaurizandi forsitan ardens,  
manus ad exactiones illapsat, et flagore  
concupiscentiae inexplicabilis necessario tyannizat.  
Habet enim hoc secum illa sitis hydropica,  
illa famis abyssus, ut quanto plus bibat, tanto  
amplius stomachus insatiabiliter aestuet ad  
bibendum. Quid enim non mortalia pectora cogit  
auri sacra fames? Ex altero vero, dum quadam  
permissiva licentia, seu licentiosa permissione,

gallicorum opera officialium maxime,  
quae pro eo, quod tot simul bellorum fuerant experti  
discrimina, sub dissimulatione transibat,  
correctionis adhibitae moderamine non mordebat,  
quamquam nonnunquam deferret accusatio  
querula veritatem, torpore negligentiae premitur,  
et crassa supinaque lentitudinis circa haec  
ignorantia diffamatur. Jam tota sedulitate vis  
et violentia refertur impune regnicolis; et, dum  
sola vis quaeque litigia terminat, parum pacis  
expectata tranquillitas videtur a proxima bellica  
confusione distare. Verum, cum in ipsis initiis  
sit subditorum comprimendus excessus, ne foeda  
imitatio, quasi turpis scabies, paulatim reliquos  
comprehendat, iste triumphans ex hostibus, nec  
in ipso tantae corruptionis initio, neque medio,  
neque fine, Gallicorum mentes jam omni cessante  
adversitate dementes debitaram illatione poenarum  
aliquatenus coērcebat, et ne praesumptionis  
antiquae corruptio regnum iterata foedaret,  
varios et non aequos excessus officialium non compressit.  
Igitur, dum totum anxie sollicitudo subripit  
sumtuosa, totumque curiosa vexat anxietas,  
bonae spei clauditur aditus, et desudantium  
querela satisfactionis compensatione non tollitur,  
sed malis cotidie ingravescentibus augmentatur.  
Cumque de jurata promissione totius regni reparatio  
deberetur, et crederetur firmiter quod prodesset,  
si quando quis meritorum suorum cuneis  
inter tot angustias triumpharet, labores omnium[Page 303]

regius sibi vindicat potentatus. Super possessionis  
suae titulo etiam antiquus possessor impetratur,  
et cuilibet interrumptur extranea vexatione  
possessio, quantavis praescriptione longi temporis  
et justo titulo sit vallata. Ex hoc enim secutum  
est gravamen arduum et nefandum, quod  
vix baroniam seu feudum aliquod diversorum inquisitorum  
pertransivit oblivio, quod non semel  
aut bis et ter aliquando merces extorta redemerit  
possidentis. Rex enim et Gallici, quos fortassis  
illorum de regno malitia blandiebat, quibus, quotiens  
de commodis agebatur, aures faciles et ad  
mala dociles commodabant, omnium ubique felicitate  
repleti, nullam sibi viam difficilem esse  
credebat, nullum aditum intervallo vel obstaculo  
iter interclusum, totum astruebant suis accrevisse  
laboribus, totumque proprium reputabant  
quicquid alii possidebant. Auferunt ergo  
pro voto quae volunt, et quae nolunt dimittunt.

## Cap. II

Ecclesia quoque jacturas sibi illatas plorat. Lex in  
regno fertur, qua ad portus omnium terrarum ecclesiasticarum  
nulla navis applicet neque mercibus  
oneretur.

Ipsae quoque ecclesiae, praeter omnia, quae  
clericis et eorum familiis, ac ecclesiarum vassallis  
nova cotidie novae exactionis adinventio imponebat,  
sub servitutis insolitae calcaribus angustatae  
magnum rerum jacturam temporalium lamentantur,  
quasi non minus illas conterat impressio  
dominii urgentis eas ad onera insueta,  
quam olim filios Israël inclemens presserat Pharaonis.

Verum, ut de persona regis, qui, tamquam  
a communi lege viventium meritorum eminentia  
sequestratus, per calles totius rectitudinis  
et justitiae finaliter incedebat, vane non inficiatur  
auditus, nec de ipso aliquid foetidum credi  
possit, nisi quatenus regnicolarum quorundam  
pravis consiliis, qui denuo coram ipso prava officialium  
opera defendebant, ex multo voluntatis  
haerebat lubrico, et, fructus contemplatione futuri,  
taliū consiliariorum consilia sequebatur, nova  
contra terras ecclesiae interdicti et excommunicationis  
species per ipsos regios consiliarios est

inventa, haec videlicet, ut in portibus terrarum ecclesiasticarum regni nullum applicet lignum, nullaque barcha, vel vas marinum aliud oneretur: horumque portuum auxiliaria litora censuit odiosa districtio in sua solitudine remanere deserta et inapplicabilia navigantibus ordinavit. Pacensis, Cathaniensis, et Cephaludensis ecclesiae, quibus in Sicilia jura portuum civitatum ipsarum ex privilegio competunt felicium Augustorum, nec non et quibus civitates ipsae temporaliter et spiritualiter sunt subjectae, spe fructus dictorum portuum sunt privatae. Cusentina etiam in Calabria, et nonnullae aliae, quae habent castra [Page 304]

aliqua juxta mare, seu in litore maris navigabilis, eisdem dominantis gravaminibus et jacturis similibus opprimuntur. Nec potest tam pravi consilio deliberatio excusari ex eo, quod interdictum hujusmodi fuisse dicitur generale, cum sit similiter ardenti par incendiorum et malorum ardenti similiter incendia non ad imparia judicentur. Magistros quoque juratos, qui maleficiis praesunt sanguinis, in terris ecclesiarum usque ad ultimam desolationem affecit.

### Cap. III

Marinus, Capuae archiepiscopus, quaedam de regnicolarum oppressionibus capitula in lugdunensi concilio legit: sed frustra. Salerni archiepiscopus Matthaeus, priusquam ad ipsum concilium se conferret, moritur.

Ad exponenda ergo in pleno concilio haec et alia gravamina quamvis plures praelati regni animositatis promtitudine viderentur ardere, illos tamen pejorum consideratio, quibus affici postmodum metuere poterant, compescerat, eligentes potius mutis labiis fustibus increpari, et oppressionis virga mente silentiosa contundi, quam gladiis trucibus lingua murmurante perire. Verum, ut taceatur de laicis, quorum nullus tantae audebat delationis inferre clamorem, inter ceteros regni praelatos, quos premebat similis morbi moles, Marinus capuanus archiepiscopus, vir facundissimus et elegantis sermonis, foecundus scientia, et hominum mores expertus, quaedam capitula, in quibus singulariter omnia regnicolarum exprimebantur gravamina, summaria eliciens, magis praejudicia recollecti, et tandem ea in plena concione concilii Lugduni voce querula propalavit. Quibus solemniter nunciatis, quamquam audientium horresceret animus, et mentalis obstupesceret intellectus, nullum tamen successit propterea lenimentum, nec adhibitum fuit remedium competens, nec morbo crescenti obviavit opportuuae repressio medicinae. Fuit tamen pro reparatione tam gravis excessus de mandato domini Gregorii ordinatum, quod duo ex praelatis regni soluto concilio redeentes in regnum, regem super corrigendis oppressionibus, quas continebant capitula supradicta, requirerent et monerent. Obfuit tamen et regni negotio nimium absentia domini Matthei salernitani archiepiscopi, qui temporibus istis, postquam deliberaverat ad concilium properare, vocatus, eo videlicet animo, ut oppressiones regni singulas firma voce depromeret, ac regni statum ipsius instanter peteret reformari, ultimum amaritudinis diem clausit. Tunc audita est vox ploratus, et ululatus multus. Salernitana enim ecclesia voce torturea laniata clamabat: "Quo progrederis, pater; quo, sacerdos sancte, properas, a dilectis regni filiis ulterius non videndus? pater mi, pater mi, regnicolarum currus, et praelatorum auriga, quid facient oppressi regnicolae, quid ecclesiae ancillatae, [Page 305]

quae fortis perdiderunt pugilem et

athletam securum, cuius industria, cuius animositate,  
servitutes indebitae, oppressiones insolitae,  
angariae et parangariae insuetae, quae  
viduis et maritatis regni, ecclesiis ac personis  
ecclesiasticis irrimediabiliter infliguntur, in conspectu  
tanti concilii provide fuissent per te propositae  
ac expressae robuste?"

Cap. IV

Gregorius papa, ad concilium iter instituens, regem  
Karolum benigne admonet: sed, quum nihil proficeret,  
Philippo Galliae regi, ut suam animi aegritudinem  
illi denuntiet, mandat. Graeci nuntios  
ad concilium mittunt, qui dicerent se ad unitatem  
ecclesiae velle redire.

Sane dominus Gregorius papa ad concilium  
ecclesiae Lugdunum properando, regem Karolum  
in Thuscia super regni gravaminibus affectu patris  
alloquitur in haec verba: "Super oppressione  
multiplici, et innumeris novitatibus, fili carissime,  
quibus sub tuo felici dominio regniconas  
opprimi fama clamat, validus frequenter clamor  
perculit aures nostras. Profecto credidimus  
per te illa debitis restaurationibus emendari,  
statumque illius regni brachio tuo commissi  
prompte in melius reformari. Revoce  
igitur pro Deo talia, quae regi pio non congruunt,  
sed potius regiam celsitudinem dehonestant,  
ita quod tua grandis adeo felicitas adaugeat,  
non minuat subditis libertatem". Ad  
haec, inquam, cum regium rex non fecisset in hac  
parte responsum, cuius animus videbatur ad ulteriora  
proclivior, dictus dominus Gregorius subdidit:

"Veniet, veniet illa dies, qua super te tuosque

filios et heredes tyrannus inopinatus adveniet".

Rex autem ad papam mente provocata  
quodammodo, spirituque turbato tunc replicat:  
"Nescio quid sit tyrannus; scio tamen quod ille  
Deus, qui semitas coepitas pedumque meorum  
sumpta vestigia hucusque direxit, velut auxiliator  
in posterum mecum erit." Post haec cum rex  
praedictus quasdam naves Hospitaliorum et  
Templariorum oneratas frumento in Sicilia et  
transfretare paratas fecisset exonerari, frumentaque  
deponi, pro eo videlicet, quod praeter jura  
fondicaria et duanae pro extractiva cujuslibet salmae  
perpetuo edicto statuerat unum augustalem  
aureum fisco regio componendum, quem augustalem  
dicti fratres, cum contra eorum immunitatem  
et regni libertatem ac consuetudinem peteretur,  
immo extorqueretur exacte, contendebant secretis  
regiis exhibere; fama de iis ad dominum  
Gregorium Lugdunum usque perrexit, quasi rex  
praedictus Terrae-Sanctae, quam idem dominus  
Gregorius apostolico zelo puraque mentis intentione  
fovebat, auxiliaria victualium subsidia,  
quibus plurimum indiget, impediret. Propter  
quod conscientia mala gravatus, considerans  
quod paterna et caritativa monita non possent  
paenes regem Karolum in revocatione tantarum

[Page 306]

novitatum adinventarum in regno proficere, doctrinam  
in hoc evangelicam servans, regi Franciae  
Philippo praesenti haec voce lugubri moestaque  
mente denuntiat, dicens, quod significatio  
praedictorum, sua et fratrum suorum, si  
vera sunt, laedit viscera, nimirum cum statum illius  
Terrae-Sanctae Christi sanguine consecratae  
jaculo verisimilis laesionis offendat. Quare  
rogat et mandat, ut rex Franciae dicto regi Siciliae  
hujusmodi praemissa significet, ac quicquid  
in hac parte responderit, ad notitiam sedis  
apostolicae preferat, quae circa talia intendebat  
apponere consilii remedium opportuni. Praeterea  
super eo, quod Graeci nuntios ad concilium miserant,  
per quos se velle redire ad unitatem ecclesiae,

ac, commutatis in melius ritibus, unionem  
cum gente latina facere atruebant, pater  
apostolicus similiter regem Franciae consuluit  
memoratum, dicens quod, Graecis ad mandata  
ecclesiae redire volentibus et parere, non videbatur  
gremium debere apostolicae sedis claudi,  
sed recipiendi erant, ut prima facie videbatur,  
ad misericordiam romanae ecclesiae gratiose,  
ut de cetero juxta evangelica vaticinia unus in  
mundo sit pastor, erroris cujuslibet abdicata caligine,  
unumque ovile fidei orthodoxae. Sed nescio  
quis, Deus scit, qui novit occulta, tantam  
Graecorum et Latinorum paratae ac petiae unitatis  
concordiam zizania damnosae dissolutionis  
infecit, et fermento malitia ac excoxitatae nequitiae  
impedivit.

Ad ligandum sane praelatorum alas, decurtandumque  
volatus, ac clericorum passus novis  
constitutionibus compescendos, et per consequens  
jurisdictionem sedis apostolicae ampliandam, ut  
quae cuncta potest, cuncta operetur immediate,  
qui viderit aut videre poterit, et sola totaque sit  
in omnibus peragendis, quae mater est et magistra  
omnium, quamplures decretales seu decreta  
vel sanctiones poenales valituras perpetuo promulgavit.

Pro subsidio autem Terrae-Sanctae  
praedictae, ut de redditibus ecclesiasticis generalis  
passagii sumtus abunde ac liberaliter fieri valeant,  
decima sex annorum universaliter de omnibus  
ecclesiarum proventibus edicitur colligenda  
in toto orbe terrarum, et demum collectores per  
singulas provincias statuuntur.

Cap. V

Concilium dimittitur. Pontifex Gregorius, Romam repetens,  
Aretii decedit. Petrus Burgundiae ei succedit,  
Innocentii V nomine. Karolus Hierusalem  
atque Siciliae rex inscribitur. Innocentius morti  
occubit.

Concilio igitur dissoluto, de quo nulla, vel  
modica universitatis fructuositas est progressa,  
nisi quatenus sedes apostolica devolutionem confluentum  
ad synodus generalem, et evocatorum  
obedientiam est experta, dominus Gregorius redit  
in Italiam, Romam festinans, immo ad passagium

[Page 307]

celeri festinantia devote suspirans. Sed,  
quia non sunt in homine viae ejus, immo Deus  
tantum, qui moderatur vota, et dirigit gressus  
humanos, dictus dominus Gregorius apud civitatem  
aretinam squallore itineris fatigatus adveniens,  
moleque propterea tandem morbi febrilis  
arreptus, viam omnis carnis ingreditur, nomenque  
sanctitatis apud homines indeleibile promeretur.  
Huic autem celeri provisione substituitur in  
honore dominus frater Petrus de Burgundia episcopus  
ostiensis, qui, mutato Petri vocabulo,  
cujus adeo plenitudinem potestatis assumserat,  
Innocentius V voluit nominari. Hic, volens episcopatum  
suum visitationis debitae praesentia  
honorare, sedique propriae reverenter et devote  
sua visitatione deferre, abjecta mora, Romam itinere  
continuato se dirigit. Tempore autem domini  
Innocentii V, rex Karolus regnum hierosolymitanum  
ex concessione cujusdam domicellae,  
quae filia J. quondam regis Hierusalem dicebatur  
et heres, sive pretio, sive amore, aut permutatione,  
seu compensatione alicujus excambii est  
adeptus, regemque se Hierusalem et Siciliae postmodum  
titulavit. Infra sex autem menses dominus  
Innocentius apud lateranense palatium Romae  
fatalibus devictus viribus, diffinitiva mortis  
sententia resignato vitae chirographo, cessit  
mundo.

Cap. VI

Post multas cardinalium contentiones, Adrianus V

pontifex denique legitur; cui breviter mortuo Johannes XXI succedit.  
Cum praedictus dominus Gregorius papa bonae memoriae attendens gravia dictae sedis dispendia, et probrosam infamiam, quae propter vacationem diutinam sedis ejusdem, quam vota contraria cardinalium et in electione summi pontificis omnino divisa trahebant, universalis proveniebat ecclesiae, quamdam constitutionem contra cardinalium duritatem edidisset, per quam rectoribus civitatum et locorum, in quorum districtibus summum pontificem obire contingeret, reducendi cardinales ipsos sub unius clausurae conclave, et eos certo modo ad electionem celerem compescendi, plenam ex rationibus tradiderat potestatem, rex praedictus, qui erat tunc Urbis senator ad vitam, cardinales praedictos in palatio lateranensi praedicto adeo coartavit, quod, contra voluntatem et repugnantiam majoris et senioris partis collegii, obturatis quibuslibet foraminibus, muratisque fenestris altissimis, per quas solum animal pennatum, apertis remanentibus, ingredi poterat ad conclusos, multa et dura fecit personaliter instans coercitionis et coactionis operibus, per quae nonnullos ex ipsis cardinalibus provocavit, et suspectum eis reddidit et pariter odiosum. Credensque per coercitionem hujusmodi habere summum pontificem forsitan sicut vellet, non incedens per viam regiam, sinistram [Page 308]

declinavit in partem. Post octo namque dies ipsis subtractis cibariis, panis et aqua tantum debebant, secundum praedictam constitutionem Gregorii, cardinalibus omnibus in reclusorio ministrari. Cardinales gallici diversitatem ciborum ac varietatem potum latenter in abundantia per ministros regios porrectorum gula stomachante fastidiunt. Tunc sane dominus Johannes Cajetanus sancti Nicolai in carcere tulliano diaconus cardinalis, Argus, et argutus in ecclesia Dei, omnisque ipsis cardinalis sequela, contra regem Karolum non immerito causam et materiam conceperunt odii et rancoris, pro eo, quod erga constrictos reductosque infra murorum ambitum compulsi inaequali et impari, superbe non minus, regere se studebat. Demum ille, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, non passus longae vacationis ecclesiae suae sanctae stipendia, qui voluit esse Dei mediator et hominis, discrepantes dominorum cardinalium spiritus ad illius reduxit monochordium unitatis, quod propere nimis, ultra quam tunc credi posset, dominus Octobonus Sancti Adriani diaconus cardinalis ad summi apostolatus apicem, consulto prius rege a cardinalibus gallicis praeter jus et consuetudinem, concorditer evocatus, mutatoque proprio nomine, vocari voluit Adrianus. Hic, pro eo, quod aestiva tempora imminebant, quibus, nescio qua suspicione de aere corrupto concepta, romana ecclesia vitare urbis romanae didicit incolatum, Viterbiu statim pergit, quasi praescitam festinantiam ad mortem; ibique infra quadraginta dies debitum naturae persolvit invitus. Post cujus obitum domini cardinales reducti more solito in palatio sub conclave in cordis duritia et animi obstinatione praeterita validiores effecti, sed diversitatem corporum notis utriusque diversis diversitatem induunt animorum. Nihilominus tamen ex industria et sagacitate praedicti domini Johannis Cajetani magister Petrus Hispanus tusculanus episcopus ad apicem apostolicae dignitatis assumitur, et Johannes XXI, mutato nomine proprio, nominatur.

Cap. VII

Karolus rex, malis sui consiliariis suadentibus,  
nova vectigalia imponit.  
Sub istius tempore Karolus rex praefatus alias  
impresso gravi pondere onus addens, et de perversorum  
suorum consilio novos novorum gravaminum  
modus invenit, et imposuit. Quidam enim  
ex suis subdola suggestione susurrant, et aures  
regias vento nitentes adulacionis implere, dum  
nil aliud cogitant, nisi cum alterius regi placere  
jactura, dicunt in aures: "Domine mi rex,  
forestas innumeratas, camposque diversos et nemora  
sub defensa, necnon alia infinita hodie regium  
habet dominium, e quibus, quod est satis  
mirabile, consideratis expensis, quas pro iis curia[Page 309]

vestra subit, nulla provenit, ut deberet,  
utilitas fisco vestro. Totum forsan commodum,  
omnisque fructus et usus est magistrorum massariorum,  
aliorumque custodum et credent ariorum  
curiae. Unde massarias vestras, domine,  
per terras regni cum bonis viris, qui massariis  
utuntur, communicetis in totum, et societas  
inite cum eisdem. Multiplicabuntur enim  
sine sumptibus curiae tunc regiae massariae,  
semperque, salva rerum substantia, multa camerae  
vestrae emolumenta provenient. Dividantur  
animalia vestra per subditos opulentos, et  
eis imponatur reddendum curiae vestrae, salva  
semper sorte, certum quid annuatim. Subditi  
quippe vestri, propter consequendam in bonis  
et animalibus suis, praetextu societatis regiae,  
libertatem, et habenda pascua libera, libenter  
ad participium fructuum recipient, sub suo periculo  
et fortuna, quamlibet massariam." Falsa  
igitur et fallaci suasione recepta, et pariter approbata,  
per totam Siciliam, quae terra est fertilis  
et foecunda, segetibus apta, et accomodata  
massariis, viros habentes aliquid, maxime archivillanos  
locorum, et protorusticos, eligit ad  
hujusmodi officiorum onera officialium docta malitia.  
Huic invito sues in numero, alii renitenti  
boves, illi compulso vaccas, illi repugnanti pecora,  
sive oves, et equas custodiendas assignat, legem  
ponens caeteris, ac si naturae dominaretur  
et aëri, aut esset humana virtus super omnipotentia  
deitatis: haec est enim lex, hic est modus  
impositus caeteris talibus, hoc statutum curiae  
officialium mala fraude vallatum, ut ille videlicet,  
cui societatis nomine sues custodienda traduntur,  
assignet fisco curiae, anni circulo revoluto,  
parturisse suem quamlibet bis quinque  
capita foetus, duos scilicet foetus masculos, et  
tres foeminas, foetusque primos foemineos eodem  
anno quinque similiter quamlibet generasse, ita  
quod de qualibet porca in omnem eventum viginti  
capita in universo post annum, velit nolit, de  
bona et aequa, ut ajunt, ratione resignet; secundo  
vero anno, et deinceps qualibet, XXX salmas  
frumenti, et totidem ordei, magistro massario curiae  
repraesentet, receptis, pro expensis et mercede  
servitii et laboris, duobus tantum augystalibus  
per singulos duos boves. Alteri vero, cui bidentes  
ad participium fructus dantur, talis est  
rationis compulsio ad tapetum, ut pro singulis  
centum ovibus sibi datis, de decem cantariis casei,  
et de duobus reccottae, ac quatuor cantariis  
lanae, venditoque caseo, de duodecim tarenis auri  
pro qualibet cantareo casei, et de sex tarenis  
pro cantareo, soluta omnino integre pecunia curiae,  
anno revoluto faciat rationem. Si quae sint  
oves foetus portantes, nonaginta saltem ex qualibet  
centenario foetus, sexaginta videlicet foeminas,  
et triginta masculos anniculos, eosdemque  
foeminas secundo anno suos pariter foetus habere  
in sui tempore ratiocinii omnino deponet. Pro

salmatas pinguis novalis procuret haberi; ex  
quibus duabus salmatis duodecim salmas victualium  
de suo, si novalis casu pereat, fisco componat.  
Equarius vero per singulas duodecim equas  
suae custodiae assignatas quolibet anno decem  
foetus, quatuor masculos et sex foeminas, necessario  
sub omni suo periculo repraesentet. His et aliis  
gravaminibus, praeter collectas et exactiones innumeritas,  
novamque monetam, qui praesunt regno  
et regnicolas caeteros student et incolas laccessire,  
et, dum quilibet officialis emungit, nimium elicit  
emungendum cruorem, carnemque discripit.  
Omnia sane praescripta conniventibus oculis  
rex quadam palliata voluntate pertransit, forsitan  
instar illius summi sacerdotis Heli, qui bovis  
in se carnes furantium ex lebetibus excessus  
non corripuit filiorum. Erat, inquam, forsan  
magis ista, placebat enim forte regi industria  
contra potentes, et divites subditos, quos sub fraeno  
timoris, et habenis dominii vivere affectabat,  
et pro eo quod audacem praedictionem semper  
verebat, cum, ab ipsis regnicolis ex parte qualibet  
dempta substantia, non remaneret eis unde  
possent erecto contra regem calcaneo superbire.  
Praeter omnia supradicta, quae importabilia  
satis esse videntur, frequentissime vidi, quando  
aut rex, aut capitaneus, magisterve, seu justitiarius,  
vel aliquis alias ex illius militiae comitiva  
veniebat ad terram, mataratos, culcitrale,  
fulcrum, et fiscones, pulvinaria, seu plumatia,  
et vilissimum grabbatum, aliquando pauperis,  
coopertoria, et linteamina de domibus utriusque  
condictionis virorum et status violenter  
exrahi, et portari, rerum patronis invitatis, et  
dominis, quos frequenter propterea jacere necessitas,  
quae legem non habet, compellebat in terra.  
Et, si aliquando quis assumebat animum verbo  
tantummodo resistendi, ne videlicet roba sua  
eo extra portaretur invito, praeter impulsus varios,  
et repulsus, ac verbera, ducebatur ad carcerem,  
nec sine interventione pecuniae laxabatur,  
propter quod oportebat miseros regnicolas subesse,  
ne, deterioribus contingentibus, premi et affligi  
possent majori laesione.  
Vidique, occasione custodiae captivorum, quod  
quocunque vadit officialis quilibet, secum ducit  
magnum illius terrae bonorum omnium partem  
ubi officialis ipse substiterat, fore pretio revenditos  
et redemptos. Multosque, praetextu ipsorum  
officialium literarum aliquo mittendarum, praetextuve  
pecuniae ad curiam regiam, vel ad thesaurarios,  
vel magistros rationales simili modo mittendae,  
sollicitatos per sub-officiales, perterritos,  
ac tandem ab ambasciatore hujusmodi onere, data  
pecunia, relaxatos.  
Vidi quoque gravius, quod cum frequentissime  
ad recolligendam pecuniam collectam mitti per  
terras consueverit, exequitor iste talis, qui ad  
lucrandum tantum mittitur et gravandum, ad se  
evocari facit nunc decem, nunc septem, nunc[Page 311]

quatuor de melioribus terrae illius, qua mittitur,  
dicitque eis quod totam quantitatem collectam  
tot unciarum auri statim nomine mutui  
solvant, ipsique postmodum de imposta collecta  
recolligant pecuniam ab eis taliter mutuatam,  
alioquin statim manus eorum ferrea dextera  
ligat, ponitque illos sub custodia; et in actu  
instante sic ligati, pecunia, et ut vitent pejus, ab  
exequatore se redimunt; quibus dimissis taliter  
et laxatis, alios totidem evocat, quos oportet ut  
simili modo se redimant, sicut possunt; sic recensitis

his, quos fallax exequutio corruptibilis  
executoris emunxit, omnes universaliter fere uno  
morbo eodemque fatiscunt gravaminis, et collanguent.

Vidi

plus; quod, homicidio in terra aliqua  
perpetrato, et si justitiarius malefactorem coepit,  
et detineat homicidam, centum augustales  
potius a terra, quae illos occasione occulti homicidii,  
tum secundum regni consuetudines et  
statuta, regio fisco pro poena teneretur exsolvere,  
mittit extorquere, homicidamque pro voto revendit  
et liberat, quamquam velit sententia sanguinis  
sarcire delictum: unde gravatur terra,  
quae pro occulto tantum homicidio ad poenam  
pecuniarum tenebatur; homicida dimittitur,  
qui vel morte fuerat condemnandus; defraudatur  
regia curia, et dehonestatur publicum bonum  
regni.

Et, ut de infinitis injuriis et contumaciis taceam,  
quas abhorrebat acies oculorum, et quibus  
lingua metuit foedari narrando, et mens veretur  
describendo tabescere, viatores vidi ab equis  
ronsinis per Gallicos frequenter excusso, et ipsos  
Gallicos pedites ascendentis. Rusticos quoque  
acceptos deplorantes asellos, ductosque cum sarcinis  
Gallicorum ad loca non nota, aliosque rusticellos  
luctisonis vocibus paleam, et ligna, aliaque  
rei onera fere deposita et ablata per Gallicos,  
pretio nullo dato.

Cap. IX

Karoli natu major filius diem supremum,  
atque in maximo Neapolis templo sepelitur.  
Sed et quis est intellectu tam hebes, qui non  
attendant filios dare poenas nonnumquam pro parentum  
excessibus et delictis? nonne loquitur per  
spiritum ipse Deus? "Ego sum, inquit, Deus zelotes  
vindicans peccata patrum in filios usque  
in tertiam et quartam generationem. Pater comedit  
uvas aceras, et dentes filiorum obstupuerunt."  
Nonne primi parentes esu suae propagationis  
stimulos aeterna mortis lebra infecerunt?  
an non credendum est quod propter tyrannum  
tota regni gens pereat, et regni dominium  
in abusione potentiae subvertatur? Surget, inquam,  
propterea gens contra gentem, et regnum  
adversus regnum, et erunt seditiones, et scandala,  
et conquassabuntur populi sub tyrranno. An  
putas Pharaonem ob aliud Dei judicio flagellatum,[Page 312]

nisi quia corde et animo indurato israeliticum  
populum gravaminibus flagellabat indignis?  
an non jaculatum est de coelo judicium,  
ut juxta diversitatem excessum diversa inflingantur  
genera flagellorum? Profecto videbitis.  
Doleo, inquam, doleo et contristor quod juvenem  
generosum forma, et statura praestabilem,  
futurum magnanimum, strenuum et audacem,  
dominum primogenitum regis Caroli, amara  
mors intempestive subripuit, et exanimem ecclesia  
neapolitana suscepit: luxit immeritus forsitan  
ante tempus, pro paterna negligentia, mortis  
poenam. Ecce initium irae Dei, adest poenarum  
inchoatio, et principium flagellorum:  
speciosum forma prae filii hominum febris invadit,  
metritum cum febre supervenit, media  
pars corporis congelatur, sed primum latus fit  
debile, sine sensu et valetudine perditur factus  
impos. Stupescat homo, miretur mundus: puer  
ope medica non resurgit, nec juvatur adjectis,  
aut restituitur medicinis; caedit natura, ceditque  
ars phisica, et Gallieni experimenta non praevalent  
praestita, Dei judicio dum non prosunt.  
Tendit arcum Deus, et tela assumpsit et pharetram,  
tuba canens: "Videte, videte, quia ego  
sum Deus, et nullus alias est praeter me". An

creditis divina mysterio vacare judicia? Quandoque  
minatur, ut terreat; quandoque percutit,  
ut corrigat; quandoque unius poenae peccantem,  
quasi monens pro aliis, afflictione fatigat, ut commissa  
ingemat, et conversus alia non committat:  
mors quidem, quae poterat pro tanta negligentia  
paterna sufficere, si deinceps genitor per  
viam regiam ambulasset, non fuit visio, sed  
praeambula timoris injectio quasi monitoria,  
graviora praenuncians, et comminatoria validiora  
praedicens. Tanguntur graviter regis praecordia  
et pugnantur, rex dolorose torquetur in obitu;  
sic dolet animo, sic vulneratur affectu, sic irremediabilibus  
lacrymis inundatus conspicitur,  
quia nullum patri solatum vel mentis lenire valeat  
ulcera, vel alveum compescere lacrymarum.

Cap. X

Rex Karolus, quem animi aegritudinem mitigasset,  
Neapoli hastiludia indicit atque celebrat.  
Nihilominus tamen, cum nullus adeo carus  
existat, cujus post obitum memoriam lapsu temporis  
non tollat oblivio, rex animum solitis restituit  
gaudiis, et in regni diversis locis, apud  
Neapolim maxime juxta monasterium sancti  
Petri ad Aram, statuit hastiludia, sive justras.  
Dividit ergo justrantium agmina, sicut mos est  
in Turonea ... in Francia, milites se hinc inde alterna

[Page 313]

societate confoederant, ut unatim hinc inde  
prodeant ad duella, fiunt ... aeque Gallicorum,  
et e converso quam plures Gallici foedus ineunt  
cum Latinis. Inde est quod, duo tantum exeentes  
ad justram, alter alterum non cognoscit, nec  
praemonitus est cum quo justrator accedat, nisi  
forsan inter aliquos prius nutu regis fuerit ordinatus.  
Sed rex jubet unum solum de superiori  
parte Latinorum prodire galeatum in stadium, et  
alium de inferiori parte Gallicorum munitum paribus  
armaturis; proinde unus ex una, alter ex  
altera parte, in capite bicipitis stadii simul una  
hora prosiliunt, quorum est pro lege regula, ut  
hastae, quae ibi dantur, statim ingredientibus ad  
duellum longitudine sint aequales, munitae trifurcatis  
in cuspidi ferris, si ludos certaminis velint  
milites gerere sine dolo; edicitur, quod et pro  
lege servatur, ut quicumque cum lanceis equum  
alterius laeserit, concertantis equi laesi aextimatum  
teneatur ad pretium. Igitur, postquam stadium  
justrare parati, accinti cum multa diligentia  
sunt in equis, tuba tonante, ac multorum  
crepitante clamore, habenis lentatis ad colla, relicta  
propria statione, concurrunt lanceis mutuo  
corpora perurgentes; quandoque capita galeata  
promentibus invicem hastis incutiunt, et, excussa  
plerumque casside, simul laedunt; aliquando vero  
alter, sed nonnumquam neuter intactus, cursum  
sine laesione consumit; pluries autem equorum  
pectoribus se invicem obviantibus, sessoribus prostratis,  
et laesis cursus violentia, equus periit  
uterque; raro tamen altius equus surgit, redivivo  
sessore non excusso de sella, sed firme et fortiter  
cum equo se tenente et surgente; contingitque  
quod, altero ab hasta non presso, alter alterius  
ictu gravatus ingenti, sursum tendentibus  
cruribus, et capite inferiora petente, probrose  
nimis cadit ad terram. Tunc saucium palma vitor  
equum cadentis triumphaliter excipit, et postmodum  
exigit armaturas iis hastiludiis, quae  
plerumque discriminosa sunt et laetifera, nec milites  
suos cogit armatorum studio et experientia  
certaminis agitari. Ex predictis autem justris  
ubicumque peractis inter Gallicos dominus Raynaldus  
Calvardus, panecterius regis, inter Latinos  
vero dominus Raynaldus de Avello, et dominus  
Thomas comes S. Severini et Marsici, nomen

Cap. XI

Karolus in constantinopolitanum imperatorem arma  
parat; et, cum Acajæ principe Athenarumque duce  
foedere inito, multos suorum adversus illum mittit:  
quorum plerique perempti sunt.  
Cum autem regis longanimitas bellicos, cuius  
dies in exercitatione bellorum consueverunt effluere,  
sub pacis longae otio plerumque praegravetur,  
et virtus semper optans consueta, inimicorum  
deficiente, sub tedio quodam marcescat, rex  
Carolus, ut contra Michaelem Palaeologum constantinopolitani  
occupatorem imperii cum ingenti  
navigio valeat transfretare, nonnulla praeparamenta  
praeordinat, et apparatus efficaces  
orditur, universis regni baronibus irrevocabili  
mandans edicto, ut quilibet juxta suarum virium  
facultates, tritas, galeas, aliaque navigabilia  
vasa, equis accommoda transfretandis, faciant  
levigare. Juvat interim principem Acajæ,  
et Athenarum ducem, cum quibus contra Graecos  
inierat foedus, eorumque terras multorum militum  
frequenti destinatione defendit; terram ex  
varia successione regio dominio competentem munire  
nititur et tenere, ac aliam, si posset, acquirere  
et lucrari. Festinat ergo illuc frequenter capitaneus  
novus, et gentem in oppositum Palaeologi;  
sed militia Palaeologi multipliciter huc usque  
praevaluit, tum quia multitudinis nomen longe ...  
tum quia, cum animositas Gallorum sit audax,  
superbe nimis vilipendit, et invadit prompte Graecos,  
et ductores eorum, propter quod Gallici nimium  
de personarum suarum viribus, licet essent  
pauciores numero, confidentes, saepissime  
succumbebant. Pereunt ibi nonnulli milites strenui,  
gallici capitanei, et ductores gentis gallicae  
illuc missae. Dominus Gualterius de Sumoroso  
per Graecos interemptus in conflictu extitit,  
et gens tota perii, dominusque Goffridus de  
Polosi, homo praeter naturam gallicam mansuetus  
moribus, et mitis animo, at amoena facie,  
amabilis, et personae compositae valde gratus,  
missus contra Graecos, nunquam rediit,  
quoniam cum comitiva sua Graecorum numerositate  
devictus extitit, et detentus. Quamplures  
etiam viri famosi apud Valachiam, et alias Arcadiae  
et Romaniae partes cum militia destinati  
causa belli cum Graecis initi corruerunt. Erat  
enim regis intentio ut terra illa devota Gallicis et  
subjecta usque ad tempora sui passagii manuteneri  
tantum et defendi valeret, donec ipse rex personaliter  
illuc cum magno posset exercitu transfretare,  
et ideo, non, sicut poterat, multos, sed  
milites tantum, quos ad defensionem et conservationem  
illius sufficere posse credebat, primis devictis,  
et praeceuntibus, destinabat.[Page 315]

Cap. XII

Johanne papa XXI demortuo, multas post dissensiones  
Nicolaus III legitur; qui, romani senatoris ac  
Thusciae vicarii imperialis munera regi Karolo  
quum abstulisset, Romae duos senatores legit,  
ac Rodulpho Romanorum regi Thusciae dat gubernacula.  
Johannes  
ad haec papa XXI, paulo post sex  
menses a die suae coronationis, homicidae mortis  
jaculo expiravit: cum enim in posteriori parte  
palatii viterbiensis novam fecisset pro studio  
cameram construi, deficientibus intra paucos  
dies aedificii fundamentis, primo sero, eo solo inibi  
commorante, machina corruit, ipsius crura et  
artus quoslibet casus structurare sic laesit, quod  
inter nonum diem post ruinam, aliena relictâ  
patria, ad veram migravit.

Johanne igitur ad Viterbium obeunte, quamquam  
constitutionis gregorianaee vigor foret per  
dies aliquos observatus, finaliter tum cum constitueret  
convenuit, licet in diebus coartationis  
cardinalium, quibus illius constitutionis exacte  
coepit rigorositas coli, major favor in omnibus,  
sed non quantum debebatur, et poterat, latinis  
cardinalibus ex eis adhaerentibus fuisse impensus,  
pro eo quod tum erant sub potentia regis  
Caroli constituti, quia non rex, sed dominus  
Ursus de filiis Ursi, nepos praedicti domini cardinalis  
Joannis Cayetani, Viterbii tunc praerat  
civitati, adhibuit enim tantum in correctionis  
modulis moderamen, nec rependit vicem  
Gallicis, quibus rex praefatus hactenus in electione  
summi pontificis favit quantum potuit  
apud Romam.

Violata igitur per actus contrarios constitutione  
praedicta, rediviva fratrum discordia solito  
fortius obstinationis ferreae recidivat in morbum;  
trahunt suos gallici, trahunt modo latini  
cardinales votorum adversantium firmos subalterne  
funiculos. Verum, sex mensibus in dissensione  
currentibus, Gallicorum confracto funiculo,  
fratrum collegium se quasi multae discordiae  
tractibus fatigatum, in concordiae paciferae  
dirigit unitatem. Sicque, caeteris fratribus  
volentibus quod velle debuerunt, domini Jacobi  
de Sabello Sanctae Mariae in Cosmedin  
diaconi cardinalis cooperante constantia, dominus  
Johannes Cajetanus cardinalis, praelatus  
per fratrum electionem canonicam et concordem,  
efficitur pater patrum. Et, quoniam devotione  
beati Nicolai pontificis merita venerabatur et  
nomen, auctoritate Petri mutatur in virum alterum,  
et vocabulum induit Nicolai. Hic ceterum  
ferens discretionis et prudentiae oculos, quibus  
et disponat presentia, et postera meditetur, Romae  
in suae dignitatis sede voluit coronari, rege  
Siciliae Carolo non praesente, licet velut vassallus  
ecclesiae adsistere debisset. Post haec,  
quoniam sedis apostolicae gloriam nulli tribuere  
intendebat, nec apostolatus alienare, aut transferre  
dominium, neque ipsius jura distrahere,[Page 316]

vel potius, si quid alienatum, vel male concessum  
invenerat, revocare, mandat districte regi praedicto,  
quod vicariatum imperii, quem per ecclesiam  
in Tuscia gesserat, dimittat libere regi suo;  
quodque, anno totius vicariatus sui completo, in  
urbe regiminis cedat officio, et de senatoria et  
de dominio Urbis nequaquam se ulterius intromittat.  
Durante sane adhuc regio dominio in  
Urbe, dictus dominus Nicolaus incommoda periculosa  
et pericula damnsa considerans, quae  
propter exteriores magnos viros in senatores assumptos  
ecclesiae romanae, et graviora verens,  
quae possent in posterum, sine remedio suffragii,  
peruenire, redditus ad praecavenda futura, et  
discriminibus priscis cautus, constitutionis suaee  
proprium et poenale sollemniter edit et promulgat  
edictum, ut videlicet nec rex aliquis, nec  
regis filius, aut princeps, vel comes, sed neque  
baro, vel miles collateralis regi, vel principi,  
extra Urbis territorium oriundus, in senatorem  
aut capitaneum, seu protectorem Urbis, vel quocumque  
nomine censi valeat, in dominum eligatur.  
Post haec, anno regii decurso dominii,  
praedictus dominus Nicolaus, cui subsequenter  
per electionem romani populi dispositio romani  
regis ad vitam concorditer est commissa, duos  
nobiles cives romanos senatores antiquo more  
ad ipsius Urbis regimen deputavit. Restituitur,  
insuper, titulus et dominium Tusciae Rodulpho  
regi Romanorum: ipse enim Rodulphus, domini

Nicolai contemplatione personae, quae ad utilitatem publicam tantum dirigi videbatur, per novam, seu renovatam concessionem, Romaniolam de mera liberalitate confirmavit ecclesiae, quam quondam sedes apostolica caesarea tenuerat et possederat cessione. Adempti sunt igitur regi Carolo, non sine responsione magnificentiae sui status, duo tituli, dignitatis senatoriae Urbis, ut nec senatorem se ulterius, et vicarius imperii, nec ulterius se intitulet in Tuscia vicarium per sanctam romanam ecclesiam generalem; sed, si blandiri suam animam contentasset, sibique regni possessio suffecisset, nullus in orbe tam potens in amoenitatis tantae solatiis, sicut rex Carolus, posset ducere dies suos. Sed forsitan nequaquam desuper datum fuit, quod mens regia, quae semper commoda ulteriora prospectat, status sit sui tranquillitate pacata, seu concessis affluentis, sit quieta; habet enim in se frequenter regum magnanimitas superborum, ut quandiu quid suo potentatui gladio subagere valeat, non cessat, eamque de reliquis cupido sollicitet, et de regni non cessen alterius ambitio stimulare.[Page 317]

### Cap. XIII

Rex Karolus regnum repetit, ubi nec non per universam Italianam omnia tranquilla et quieta. Interim Romae papa Nicolaus quamplurimis aedificiis exstruendis sedulam dat operam; atque tripolitanum episcopum, ut Karoli, Salerni principis, cum imperatoris filia ineat connubium, in Germaniam mittit. Verum, si quidem vatum praeagia veri habent, et si sunt aliquando ora prophetica, ille novit, qui balbutientium linguis dat sermones, et infantium aperit intellectus. Scio tamen quod vir vitae honestae, literarum habens scientiam, qui multorum mores viderat, et magna palpaverat, Beltrandius cusentinus archiepiscopus, quem praefatus Nicolaus tempore Johannis promoverat, dum de regni oppositionibus mentio memoriter apud romanam curiam haberetur, dixit, non quod diligenter dominium Gallicorum, sed quod eorum excessus testabatur et mores: tempus adhuc videbit qui vixerit, quod Scarabones ejicient de regno Gallicos, et in multitudine quotidianis insultibus conquassabunt dominium Gallicorum. Tunc enim qui Gallicum interficiet, arbitrabitur se Deo praestare obsequium et mundo. Rege igitur se reducente in regnum, et sub quadam quietudine spiritus ordinante aliqua passagio in Romaniam, cuius vehementi sollicitudine angebatur, tanta pax mundo, maxime Italiae, tempore pontificatus domini Nicolai quasi coelitus emissam donatur, ut nec temporibus Alexandri, vel Caesaris, quando nullo medio subactis gentibus Urbi dominabatur et orbi, nec etiam sub alicujus principis monarchia, altioris seu majoris pacis tranquillitas potuerit reperiri. Aspera sclera, bellis depositis, jam mitescunt; portae belli ferro et arctis compagibus clauduntur; furor ipsius atque ira super saeva resident armatoria munimenta: jam enim ensis non fulminat, non certatur ictibus, nec viribus vincitur, sed meritorum cuneis triumphatur, et fit gaudiis aeternitas feriarum. Status quidem totius rectificatur Italiae; romana ecclesia libertatis suaे gloriam in foecunditatis abundantiam reponit; regnum Siciliae per annum primum potitur ejusdem; a collectis, quibus suis et aliis et a nonnullis extitit gravaminibus sauciata, sopitur erronee. Tusca discordia, qua usque hodie civitates sub quadam obstinata partium divisione contendunt, ac civitates ipsae, sub treguae foedere spe simulatae amicitiae se connectunt. Gaudet

Bononia, reconciliatis civibus. Et quae lacerata  
diu fuerat dissensione suorum, totaque  
ovat, sublato pavore, laetitia, Lombardia. Singuli  
reges, et provinciarum praesides, qui sua  
regna tenent, manus ad aliena non laxant; vivunt  
contenti sui magnitudine potentatus; nulla  
eos cupido de regno alterius inquietat. Vivunt  
quieti et subditi, ac laetantur per extra regna  
non ducti, non inviti soldati, non missi, nulloque[Page 318]

importabili mandato quassati: jus et justitia  
viribus suis viget; cessant jurgia, cessant insidiae,  
seditiones non sunt, terrarum oppugnations  
non fiunt, nec timor intus, nec foris vastat  
gladius inimicus; perii edax inimiciarum  
livor in arcibus; unus rex solus in mundo dominus  
universa regens esse conspicitur, unus pastor,  
unum tantum ovile fidelium, ad quod ut fideles  
promptius se reducant: illud tantum verentur,  
et alii hoc maxime tempore declinare. Suum  
honorem ecclesia usque resumit: ad dominium  
restituitur spiritualiter et temporaliter; utraque  
manu gladium capit, et tenet utrumque, quos  
nec est opus ut exerat, cum non sit inobediens  
alterius moerens. Sicut enim legitur, quod pacis  
quondam tempore Romae arma ponebantur in templis,  
quae quandoque rubigine macerari pro dissuetudine  
contingebat, sic viriliter modo uterque  
gladius in vagina redactus, stat conglutinatus e  
rugine, haeretque vaginae, cum ad percutiendum  
educere illum necesse non habuit gladiator. Mutua  
sedes apostolica non contrahit, nec pro expensis  
aliquibus debitibus oneratur, quamquam  
dominus Nicolaus multa in multis expenderet,  
maxime in aedificiis reparandis, atque de novo  
construendis apud venerabiles basilicas SS. Petri  
et Johannis Laterani, quas multi summi  
pontifices voluerunt sub oblivionis fictae desidia  
sine reparationis alicujus suffragio pertransire.  
Interea pro contrahenda parentela inter regem  
Karolum et regem Alemanniae, inter quos dubitatur  
ne latentis invidiae fomes nutriri interius,  
et tandem exterius spumantibus animis  
ebulliret, dominus Nicolaus destinat in Theutoniam  
tripolitanum episcopum, ut ejus studio  
filia regis Alemanniae praedicti Karolo primogenito  
Karoli principi Salernitanorum, nondum  
puberi, possit conjugio copulari, et cum eodem  
episcopo in regnum traduci. Dum medium silentium  
omnia sub apostolicae sedis fraeno tenerent,  
omnisque vox belli cessaret, et strepitus  
bellorum, discriminibus jam suspensis, sub quadam  
pacis lentitudine consopiret, ecce vox magnae  
suspicionis pronuntians, ruptoque mundi  
foedere, dissentionis valida divinatrix, et scandali  
plaga futuri, intellectibus humanis alludit,  
et multorum opinionem multiformi significatione  
deludit.

EXPLICIT LIBER SEXTUS[Page 319]

INCIPIT LIBER SEPTIMUS

CAPUT. I

REX ARAGONUM APERTE IRASCITUR SICUT LEO,  
OCCULTE INSIDIATUR UT DRACO.  
Domnus, inquam, Petrus, rex Aragonum,  
cui quondam Constantia, Manfredi filia, conjugio  
fuerat copulata, classica praeparat, et navigia  
exorditur, naves et galeas fieri facit de lignaminibus  
levigatis et fortibus, quasi leo aperte  
irascens, et occulte insidiants, sicut draco.  
Carpentantur ergo in Aragonia et insula Majoricorum  
vela multa, marinis accommodata  
cursibus: alia cum uteris grossioribus, colligatorum  
lignorum structura firmatis pro equis  
transeundis, manus carpentatoris dicta colligat;

alia leviora, tabula magis tenui ordinamento  
composita, ferro confibulat, linitque plantam  
tenaci bitumine, sive pice.

## CAP. II

### KAROLUS REX REGIS ARAGONUM BELLI APPARATUS FORMIDAT.

Non immerito ergo regi Siciliae dubitabilis  
imminet de ipsius dompni Petri armata suspicio:  
propter quod in quantum potest, animo digno  
suspicionis rancore concepto, ipsius machinata  
jacula praevidet, ejusdemque semper navigii  
ordinamenta formidat, et metuit apparatus.

Sed tantus est realis animus, tantaque est cordis  
altitudo ipsius, et tanta etiam confidentia militum  
strenuorum erga eum viventium, totque insuper  
divitiae affluunt, quod omnes vires quascumque  
dictus dompnus Petrus posset gravatis  
suis conatibus congregare, parum, vel nil appretiare  
videtur, quas sibi et regno suo modicum  
reputat nocituras. Nihilominus tum, velut per  
somnum quid vanum vidisset, quadam non attenta,  
sed potius parvi pensa dubietate recepta,  
non de regno Siciliae, sed de Provincia tantum,  
quae quandam regno Aragonum dicebatur fuisse  
subjecta, et ad regnum ipsum Aragonum pertinere  
curiosa meditatione timescit, verens ne Provinciam  
ipsam, quam dictus dompnus Petrus aliquando  
suam duxit, per mare impetat et invadat.

Sed profecto latius poterat de regno Siciliae  
dubitare, quantumque universa terra ipsius regni  
plena gente gallica videretur, pro eo quod  
semper metuenda est incostantia et volubilitas  
subditorum, quod superioris indigne premit, et  
opprimit dominatus.[Page 320]

## CAP. III

Petrus, rex Aragonum, ad invadendum  
regnum incitatur.

Et, pro eo quod faciliter mentes audientium  
habilitat ad credendum, quod quidam ipsius regni  
Siciliae exules, praecipue magister Joannes  
de Procida, et quidam Rogerius de Lauria, nutritus  
in Aragonia cum dicta Constantia, paenes  
regem Aragonum ad promovenda consilia  
et consulenda negotia continuo adsistebant, quos  
verisimile erat credere frequenter regis Aragonum  
aures superbiae vento replere, ac ei sugerere  
et instare ut regnum invadat Siciliae, quod  
supponebant forsitan haberi posse faciliter et teneri,  
et, ut inducant, aut seducant eum potius,  
ad ipsorum votiva proposita exequenda; fertur  
quod circa haec sermones suos subdolos ratione  
duplici fulciverunt, quibus inquinent juvenis animum  
et superbi. Ajunt enim: "Populus subjugalis  
ad naturalium dominorum suorum dominium  
libenter, si quando commode valeant, revertitur".

Atruebant enim: "Manfredum fuisse Regni  
dominum naturalem, propterea quod de  
virga cesarea natus erat": unde asserebant: "Regnicolas  
dictam Constantiam, uxorem regis Aragonum,  
tamquam Manfredi haeredem, ejusque  
Constantiae sobolem amplis desideriis feliciter  
expectare venturam, et votive concupiscere  
sub ipsius dominio vivere, quam saltem  
animo, cum verbo non possent aut opere, adhuc  
dominam reputant, ut dicebant, desiderio  
desiderantes anxie subesse sibi, ac suaे soboli  
subjacere". Secundo ajunt exules, quod arguit  
credibilius, et concludit: "Propter oppressiones  
multiplices, ac mala innumera, quae a Gallicis  
illata Regnicolae perferunt, et de quibus  
jam saepissime aliquid audistis, non solum minores,  
sed etiam nobiles, et barones, Caroli  
dominium quadam abominatione fastidiunt: quod  
eos adeo afficit tedio superbia Gallicorum, quod

quicunque rex, aut dominus, cum aliquali gentis  
potentia proficisceretur hoc tempore, absque  
rei suae vendicatione, universos quandiu regnolcas  
statim ad sua paratos beneplacita inveniret.  
Et vos, domine, forsitan dubitatis, non vos  
statim, quod illuc veneritis, regnolcas recepturos?  
aut forte pavescitis redire sine honore confusi,  
qui estis praestanti corpore fortis, animo  
robusto virilis, mente magnanimus, juventutis  
vigore floridus, consilio praeditus, hominum  
strenuorum multitudine copiosus, jurium sufficientia  
facundus, et in orbe famosus, habentes  
praeter haec ad invadendum et tenendum regnum  
coloratum principium, si quod ad conjugem  
vestram pertinet, et ex avita successione ad  
filios suos spectat? Profecto scitote quod dummodo  
regnolcae, praecipue Siculi, haec tantum  
fama perpenderent, quod ad recuperandum uxoris,  
filiorum vestrorum regnum animum habeatis,  
nonnullae terrae, priusquam mare ingrediamini,[Page 321]

contra Gallos procul dubio rebellabunt.  
Eja ergo, et causam vestri navigii nullus sciatur,  
sed quidquid feceritis sit subitum et occultum,  
donec ventis vela dabitis, et fortunae, quae de  
more juvat audaces".  
Jus est etiam credere quod dictum dompnnum  
Petrum ad capedinem regni Siciliae continuus  
uxoris stimulus verbis et affectione perplexerit,  
quae forsitan patris necem ultore gladio cupiebat,  
idemque favet patriae nativae amor, et soli  
natalis affectio, regnique delitiae fortius impellebant,  
ut virum instanti suasione devinciret, ac  
ad praedam tandem dulcibus amplexibus concitaret.  
Quem enim suggestiones uxoreae ad gravia  
et periculosa tentanda non commovent? Quem  
non uxor firmiter fallit affectus? quid non foeminei  
dulces non seducunt amplexus? Nonne prima  
parens tortuosi colubri suggestione decipitur?  
nonne subsequenter Protoplastes uxorea suggestione  
collabitur? an non alter conjugum per alterum  
bonum vitae pereuntem amittitur, et morte  
perpetua damnatur uterque? Crede, lector,  
muliebri studio nonnumquam gravia discrimina  
pervenisse.

CAP. IV  
Galliae regis opera, Karolus regis Aragonum  
consilium conatur cognoscere.  
Cumque, inter haec, ad autumandam causam  
tanti navigii dompni Petri, Karolus denuo se  
convertens, non excuteret rancorem conceptae  
suspicionis, ab animo sapientium suorum studet  
indagare consilio, per quam viam possit praefati  
dompni Petri propositum mentale detegere, causamque  
tanti et cum tanta celeritate parati navigii  
valeat perscrutari. Tandem, ex provida sui  
deliberatione consilii, Philippo, regi Francorum,  
nepti suo, et cognato regis Aragonum memorati,  
suas litteras inter alias sub tali significatione  
transmittit, ut videlicet sagaci perquirat indagine,  
ac per alios faciat explorari, quo intentionis  
proposito dictus rex Aragonum ad parandum  
tam grande navigium moveatur, quoque sit  
iturus cum ipso: quod, si rex Franciae per alios  
hoc scire non valeat, ab ipso dompno Petro per  
speciales litteras et apocrisarios suos aliquos indagare  
procuret.  
Igitur rex Franciae, devictus instantia patruelis,  
nuntios speciales ad regem Aragonum sollicite  
destinat cum literis forsitan continentiae interscriptae:[Page 322]

CAP. V  
TENOR LITERARUM REGIS.  
"Illustri regi Aragonum, cognato suo, Philippus  
Dei gratia rex Francorum, salutem.

De eo, quod, praeter morem, galeas et naves  
congregare dicimini, etiam, ut dicitur, fecistis  
per regnum vestrum voce paeonia divulgari,  
magna pro uno anno stipendia quibuscumque  
volentibus illa recipere vos datus, multi quidem  
multa sentiunt, omnes tamen admiratio magna  
movet, et forte aliquos non indigne opinio  
praesumpta perterret: quoniam nullus in orbe  
princeps posset ordiri cum tanta deliberatione  
tanti navigii et exercitus apparatus, tantamque  
gentis armorum multitudinem congregare, cuius  
propositum ante per plura tempora non sciatur,  
et causa non reveletur multitudinis congregatae.  
Verum de vestro proposito, quoque intendatis  
dirigere salubriter gressus coepitos, nemimi adhuc  
potuit innotescere veritas, quae jam deberet  
toto in orbe terrarum clarere. Nobis enim  
propterea magna admiratio supervenit, quod  
vos, quasi de favore nostrae potentiae diffidentes,  
aut de nostro juvamine non sperantes, mentis  
vestrae conceptum, ac propositi vestri causam  
nostrae conscientiae reserare, ac vos facere  
destinare numero certos, sicut debueratis,  
aliquatenus non curastis. Quare magnitudo  
vestra nobis sigillatim per latores praesentium,  
nostros speciales ad vos propterea nuntios, verbo  
saltem enucleet, nosque in eo vestris agendis  
certificare procuret, quod non debet aliquid  
nos latere, quod conceptum aut deliberatum  
insideat menti vestrae. Si enim pro voto  
exsolvendo in subsidium Terrae Sanctae, aut  
contra regum infidelium terras, vel adversus  
hostem, si quem vobis creditis, proficisci, nostra  
circa haec affinitati vestrae auxilia opportuna  
non deerunt; sed sive gentium, sive pecuniae  
magis subsidia causam et propositum vestrum  
juvant, dextera nostra, quod vobis magis  
gratum fuerit, exequetur. Si autem contra  
fidelem principem, aut ecclesiae romanae devotum,  
collectas vires dirigere cogitatis, et animo  
saltem hostili possetis impetrare, ac gente  
inimica turbare, cujusque nimirum turbatio nostra  
esset, ac perinde honor coronae Franciae  
laederetur. Igitur magnanimitas vestra votum  
nostrum et intendat, ac cepti negotii finem si  
per scripturas mediatices absentium nobis volueritis  
intimare, per votum nuntiorum fidei reserare,  
ac nobis confidenter per eos quidquid  
intenditis aperire".[Page 323]

CAP. VI  
Petri, Aragonum regis, nuntiis responsum  
ac epistola.

Accedentes ergo nuntii Franciae regis in Aragoniam,  
nihil potuerunt de intentione regis inductionibus  
aut argumentis aliquid extorquere.  
Petrus enim nihil e contra reddidit, per quod  
valeant quoquomodo propositum sui animi autumare;  
sed interdum hoc tantum regia vox compressit:  
"Per id armati, quod jam agere coepimus,  
quodve paravimus, regem Franciae non  
intendimus laedere, aut amicos ejus nostris apparatus  
offensare. Unde ite, renuntiate regi,  
ac dicite, quod causam nostri propositi nulli  
adhuc diximus, nec intendimus alicui pandere  
quod ordimur; et rex ad malum non computet  
si quod alii nesciunt, illi aperire nolumus:  
sciet autem postea, si aliquis scire debeat, quo  
nostrarum conatus virium illis temporibus dirigemus".  
Dari et potuerunt ipsis nuntiis tales litterae:  
"Excellentissimo domino illustri regi Francorum,  
sororio suo, Petrus, Aragoniae rex, salutem.  
Regia bonitas turbari non debet, si animum  
nostrum ad praesens nec litteris, nec nuntiis  
intenti nostri propositi reseratum arcanae vestrae

conscientiae deducimus, nec molestum  
ferre, nec grave, si occultum magnitudinem  
vestram pertranseat quod usque ad actum latere  
singulos affectamus. Non enim novum potest  
aut mirabile reputari, quod alteri non  
subjectum negotium aliquod viribus aggrediatur  
et animo, lingua jactatrice silente, nemini  
reveletur; nam profecto non expedit, ut  
quae sine aliorum auxilio attentantur, acclamatio  
linguosa divulget, quae nonnunquam multiloquo  
cogitata praecedit, et mentium proposita  
quandoque proposito impedimento suspendit.  
De oblato ad haec nobis per magnificentiam  
vestram regiam personarum juvamine, uberas  
liberalitati regiae gratiarum referimus actiones:  
disposuimus enim absque regum, et principum,  
et consanguineorum nostrorum subsidio, inchoata  
peragere, et persequi sub fortunae cursum  
votum nostrum".

#### CAP. VII

Infidelium reges, regis Aragonum apparatus pertimescentes,  
sua regna munire parant; Karolus  
autem filium suum, Salerni principem, in Provinciam  
mittit.

Universis itaque maritimarum terris quidam  
dubitabilis terror injicitur. Reges enim Arabum,  
totaque Barbaria, Bojea, Arabia, et quae sunt  
juxta mare magnum Agarenorum terrae, regis  
Aragonum formidant accessum. Credit rex Tunisii,[Page 324]

et rex Arabum opinatur, cogitat rex Granatae,  
aliique infidelium reges, quilibet plus minusve,  
prout plures aut pauciores terras marinas  
vicinis actoribus obtinent, vehementi dubietate  
recepta, et dubia super opinione jam facti  
formidolosi, et jactant et adstruunt exhortia regis  
Aragonum, jam facta collecta in vires ad  
suae terrae vastitatem, et gentis exterminia finaliter  
convertenda, pro eo videlicet, quod catholici  
reges Aragonum consueverint antiquitus frequenter  
gentes impetrare barbaras, et fortium bellorum  
insultibus propulsare, ac tandem, divina dextera  
media, quae contra crucis hostes regibus fidelibus  
propitiatrix adsistit. Propter quod muniri  
et fortificari faciunt terras et loca praecipue,  
quae sunt portuum commoditate ditata, portus  
ipsos impediri apud et lignorum procurant  
obstaculis, ne ingressus ad portus patere valeat  
saltem multitudine galearum.

Interea Carolus, rex Siciliae, attendens provide  
quod nec Franciae, nec aliquis alias, de proposito  
regis Aragonum quidquam diserpere poterat,  
aut aliquid fama relatrice perpendere,  
satis caute Carolum principem Salerni primogenitum  
suum in Provinciam aliquandiu inibi  
moratum praemittit, donec saltem, postquam rex  
Aragonum, coepito itinere, coepit navigare, certius  
scire possit quo tenderit, et ubi terminaverit  
iter suum. Nemo tum comprehendere poterat  
quod princeps ad Provinciae custodiam mitteretur,  
sed ad congregandos milites pro passagio  
Romaniae, et ad ordinandum ibi propterea de  
apparatus galearum.

Qui odit et detrahit facto Caroli, linguamque  
mendaciis plerisque defoedat, et si publice  
non audeat, quia regis Caroli formidat amicos,  
clam tamen cum singularibus ejusdem voluntatis  
personis tacito colloquio innuit quod princeps  
omnino ad tuitionem et custodiam Provinciae  
missus erat, quam timere ne rebellaretur poterat,  
eo quod Provinciales adstruebant, non minus  
quam regnicolas, per regem Carolum et Gallicos  
oppressos oneribus et gravatos; et ideo eos, tamquam  
servitutis et oppressionis morbo simili laborantes,  
paratos quos credere poterat animisque

corruptos, ad subjiciendum se novo dominio, et regi extraneo, si opportunitatem captare valeant rebellandi.

CAP. VIII

Nicolai III papae obitus.

Post haec rectificator illae superbiae, ac malitiae moderator, cuius solo nutu arcebantur effrenes, omnisque potens fremescebat in orbe, dominus Nicolaus, pater almus, apud quoddam castrum, quod Surianum dicitur, nepotis sui domini Ursonis nova possessionis acquisitio per industriam vindicata, subito preventus a reumate, et ab humorum discursione letaliter occupatus, proh dolor, incurrit laethifera squinantiam; [Page 325]

qui similis illico letargico factus est, imo prorsus universaliter debilitatus in sensibus, qui statim officia naturalia perdidit, et spiritum noctis tempore sine murmure vocis emisit.

Mox ergo post tanti patris extinctionem, lugubrem dolorem fidelibus offerentem, solaris ecclipsatus est radius, passusque est globus lunaris occasum, velum templi scissum est, et sanctuarium lapis, inquam, singularis ecclesiae dolende confractus est. Petrae scissae sunt, et monumenta malorum aperta sunt, et multa corpora perversorum, quae dormierant, surrexerunt. Cometa regna conquassans radiosos crines dimisit ad terram, totiusque sunt orbis extrema conquassata, et pariter elementa turbata; pax cessit mundo; ac, dato libello repudii, otiosa concordia extra mundi terminos exulavit, postquam vepres criminum innascuntur, cum jam vomere justitiae non colantur.

Tantaque post ejus obitum fit universorum turbatio, quod totius status pacifici quies abdicatur a subditis, et potentes in sui magnitudine, spiritibus ulceratis, inter se dirae cogitationis stimulis affliguntur, quasi status omnium et singulorum tranquillitas, mundique concordia, ab unius vita et obitu principaliter dependent. Cloto ergo colum bajulante fatorum, filumque Lachesi trahente vitalem, Atropos ultima reliquum secat, caeteraque concludit, ut inevitabili conclusione contaminet totum residuum super terram. Jamque, ut de iis plura non exprimam. "Manifestaque belli signa dedit mundus, leges, et foedera rerum praescia monstrifero pressit natura tumultu".

CAP.

IX

#### EXCLAMAT VOX ECCLESIAE CONTRA VITERBIENSES.

Vos, inquam, inter alios, Viterbienses, in hac parte convenio, qui post dicti patris obitum usque in hodiernum diem multiplicitate offendistis ecclesiam. Clamo ad coelum altis vocibus, et amaritudinem fidelium exprimo tuba linguae; sed, quoniam ab heri, cum nudius tertius eloqui gravatus merore didici, quam transgressio vestri concilii compellit incircumcisio forte labiis de tanti meroris angustia bulbutire, vereor ne sit qui clamores conquerentis exaudiat, quique patientis injuriam ulciscatur. Nonne tum ecclesia, postpositis locis insignibus ac devotis, in terra vestra tamquam in excelso monte apostolicum solium stabilivit? Nonne filios inibi ingratos enutravit, et subjectos exaltavit superbos? Quid ergo matrem, quae frequenter in multitudine sobolis affectione decipitur, tumore arrogantiae lacescit? quid ipsam apostolatu privare velle videmini? quid materna viscera crudelitatis incendio maculatis? Haec cine, popule stulte, pro bonis retribuis? haec cine gens nequam pro dilectione compensas, pro lacte suscepto propinas fellea pocula? et, gratiae beneficio [Page 326]

superbe abutens, quod collatum in te liberaliter  
frequentissime cognovisti, haec sine gratiarum  
actiones quas excolvis dominae, ut in ea humanitatis  
jura violes, et famosos matris alumnos,  
optimates in Urbe, dominaeque rectores, quos  
honestas, et vita, et laudis paeconio dignos censem?  
Prius enim ut grati filii mori pati debuissetis,  
aut gladio trucidari, quam aliquid tantis  
patribus sustinuissestis injungi. An arbitramini  
circa haec omnipotentis Dei fugere posse sententiam,  
ejusque in tantis excessibus judicium evitare?  
Fetet quidem ecce jam filialis odor vester  
in conspectu matris offensae: praebuistis enim in  
manibus furiosorum virorum gladios, ut ecclesiae  
ministros occiderent, et tradidistis fossoria  
rudibus, quibus opprimant tempa...sedem apostolicam,  
ejusque patrimoniale haereditatem  
confundere ac delere. Dicetis autem postmodum:  
"quod universitas nostra peccavit, nihil adversus  
quempiam fecimus in communi; poena suos  
teneat authores, et non tota universitas puniatur".  
Qua fronte excessibus petetis veniam; quave,  
effrontes, promptitudine misericordiae indulgentiam  
poteritis flagitare? Ecce sane fere vestris opibus  
ecclesia corruit, quae multo est propterea  
exinanita dolore: ecce singula loca, in quibus  
cum filiis, et devotis, locari consuevit ecclesia,  
tristi elogio, et crinium laceratione complevit.  
Vidit enim, proh dolor, ministros gubernatores  
suos manibus truculentis expositos, immaniter  
ut perirent. Clamat contra vos laesa lethaliter,  
et ait: "Dimitte filios meos, electos meos, Israel  
progenitos, quos cepistis". Magna est profecto  
impietas quod homo in hominem taliter saeviat,  
impius, injustus, scelleratus in sanctum, pravus  
in humanum, servus in dominum, in patrem  
sum usurpat filius potestatem. O viri nefandi,  
o crudeliores quibuslibet crudelissimis, o probrosi  
versipelles, et fatui, cur jam aperte consilium  
vestrum insanivit? profecto apostolorum successores  
a sede nisi estis, et urbe propellere, ac matris  
viscera tam pravae cogitationis sordibus suicidare.  
Fuit enim detestabile, et segregatum a  
qualibet humanitate propositum, indigens supercilium  
ultore potestatis armatae, jam alteri vobis  
cum alteratione dimissa, praesumptiones vestras,  
et contumelias illatas ecclesiae sermone specifico,  
voce querula...ut depromam alterius potestatis  
objectu, furor ferventium animorum vestrorum  
per debitam ultionem in suis conatibus elidatur.[Page 327]

#### CAP. X

Nicolao papa demortuo, Viterbienses atque omnes  
Romanorum gibellini regi Karolo adhaerent. Cardinalium  
deinde novum pontificem eligentium magno  
impetu concilium adeunt; illorumque nonnulli  
captivi fiunt. Post multas denique dissensiones,  
Martinus V papa legitur.  
Audite, coeli, quae loquor, et tantorum terra  
sit ultrix excessuum, apertaque deglutiet cum  
Datan et Abiron hujus sceleris patratores. Mortuo  
namque domino Nicolao recolendae memoriae,  
Viterbienses contra Ursinos, eorumque  
complices et fautores erexerunt statim rebellionis  
durae cervicem, et quemdam Viscontem Rainerii  
Gacti militem concivem, qui per dominum  
Ursonem multas jacturas se passum et injurias  
praetendebat, commota seditione, in proprium  
capitaneum ipsi statuerunt, assumpto tandem in  
potestatem domino Riccardello, cive romano,  
qui multa quondam in silva Agiarii Gallicorum  
invidia procuravit.  
His sane capitaneus, omnesque gibellini Urbis,  
et civitatis viterbiensis, quae ut plurimum  
semper extitit gibellina, ex tunc post obitum

Nicolai regi Carolo adhaeserunt in odium Ursinorum  
se sibi placere non modicum, si consanguineos  
domini Nicolai, eorumque amatores, nitantur  
quibuscumque offendiculis propulsare, pro  
eo quod asserunt dictum regem Carolum ab eodem  
domino Nicolao, et sui honoris, et magnitudinis  
suae depressione gravatum, vias denuo,  
si quas possunt, excogitant laesionis. Ideo non  
contenti regimen domini Ursonis subita seditione  
praecidere ac turbare, sed levas et audent  
manus temerarias ad eos extendere, per quos  
credunt domos guelforum Urbis, Ursinorum complicium,  
exaltari. Cum igitur sedis apostolicae  
navicella, procellis hinc inde promentibus, sine  
remige fluctuaret, ageretque Viterbi sponsa Christi  
in viduitatis lugubribus vestibus Dei ecclesia;  
dumque rectorem industrium quaereret, maritum  
formosum, et defensorem pervigilem; dumque securum  
examen consuetae indagationis exposceret,  
starentque domini cardinales arctati, ut moris  
est, in palatio providendum ecclesiae de  
marito, et errantibus ovibus de pastore; civitatis  
praedictae populus, debitae fidelitatis oblitus,  
versum palatium praedictum, quadam repentina  
scismatis contra fratrum collegium seditione commota,  
manu venientes armata, cardinalium  
praedictorum dehonestaverunt consortium, et eorum  
voluntariae solitudinis quieta silentia perrumpunt,  
et, ad fraudolentae praesumptionis  
fomenta conversi, quibusdam ac inauditis machinis  
quosdam venerabiles patres cardinales, oriundos  
de Urbe, et consanguineos dicti domini Nicolai,  
clamorosis vocibus expetiverunt in mortem;  
intrantque fatuo prontitudine secretum consistorium  
eorumdem, quod nulli tunc maxime  
adire fas erat, reverendos patres Mattheum Sanctae  
Mariae in porticu, et Jordanum Sancti Eustachii,[Page 328]

diaconos cardinales, a fratrum collegio  
segregarunt. Sed neque dominus Latinus Hostientium  
episcopus a tantis ausibus fuit tutus. Altero  
vero die libertate ejusdem collegii restituta,  
et domino Latino assecurato quodammodo, sicut  
et in tam discriminoso carcere poterat, memoratum  
dominum Matthaeum arcto ipsius palatii  
carceri manciparunt, carceris ostium saevis custodibus  
consignantes, et deportantes cardinali  
capitaneo panem et aquam, et de iis non ad sufficientiam,  
sed in ea quantitate, ut aliquibus diebus  
misere ac tedious vivendo finaliter, deficiente  
spiritu, morte crudelissima extinguitur.  
Continuatis itaque per dies aliquos mestuose  
doloribus, ecclesiam suam regnantis in altero solio  
digna clementia providentiae humeris erigens,  
ruinosa corda cardinalium, quae diu fuerant  
sub consuetae dissentionis alternatione discordia,  
unitatis, et voluntatis, et cordis glutino counivit;  
sicque, nutu Dei facti unanimes et concordes, verum  
patrem dominum Symonem Turonensem tituli  
sanctae Caeciliae praesbyterum cardinalem  
in summum pontificem elegerunt.  
Hic autem immediate, post publicatam et acceptam  
electionem, sua terribili voce mandavit  
dominum Matthaeum per eos, qui civitati viterbiensi  
praeiverant, a carcere relaxari, et ad se  
carceris squallore maceratum adduci qui alias  
forsitan nunquam sospes carcerem exivisset. Discedit  
dominus papa de loco opprobrii, ubi ecclesiae  
romanae tantam vedit injuriam, et Urbe  
Veteri coronatur, qui pro eo quod quaedam  
ecclesia Turonis, in quo obtinuerat papatum,  
ad honorem B. Martini dicitur dedicata, Martini  
voluit vocabulo nominari.

CAP. XI

Gallorum, ob Martini electionem atque

coronationem, publica laetitia.  
Coronationi autem huic celeriter et sollemniter,  
sicut tanto patri convenit, celebranda  
multitudo nobilium adfuit Gallicorum, magnalia  
assentamenta demonstrans, ut credi possit,  
quod tanti festi sollemnitas est eorum. Illic Gui-  
do de Monteforti, illic Guillelmus Standardus,  
etiam Ferecius Aloisius de Alvernia, multique  
alii proceres, barones, familiares regii (quos  
rex Carolus ad obviandum filiae regis Alemanniae  
futurae nepotis sui conjugi, et ad deducendum  
eam in regnum, quae pridie cum tripolitano  
episcopo, et multis proceribus allamandis  
apud curiam romanam attigerat, destinaverat),  
ostentant gestibus et operibus de assumptione  
summi pontificis se gaudere. Propter quod quilibet,  
vestibus externis depositis, sumit mutatorias  
praetiosas, induuntque secum socios veste  
simili adornatos, quorum agmina color varius  
distinguebat et habitus. Vestimentum erat de samito  
luccano et veneto: nam ut plurimum vestes [Page 329]

induunt aureo filo, absque lini et lanae orditura,  
contextas. Verum tandem, convivio ampio  
disposito, et postmodum celebrato, donant  
decoras exuvias, aliasque caras de lana, quam  
ovis anglicana congesserat, Galliaque tessuerat.  
Induunt, et resumunt; et, ut per ampliora signa  
portentetur quod tota celebritas sit ad gloriam  
Gallicorum, omnia illius diei ordinamenta disponunt,  
dirigunt officiales, faciuntque ministros,  
stabilunt ministeria, mandant, introducunt, et  
ejiciunt, sicut volunt, maiores cum baculis compescunt  
alios; hinc proceres papam adextrant,  
alii praecedunt, alii subsequuntur, patres pedites  
assistendo circumstant, nec sibi aliquis quam  
Gallicus appropinquat, caeteri eminus, ipsi cominus  
comitantur.

## CAP. XII

Rex Karolus Romae senator iterum legitur: quare rursus  
ad Romaniam aggrediendam animum convertit.  
Magni in toto regno apparatus fiunt; foedusque  
cum Venetis initur.  
Eo igitur coronato, Romani ad devotionem  
matris suae romanae ecclesiae fidelem suspirantes,  
dictum dominum papam, sicut quondam bona  
memoriae Nicolaum, in senatorem eorum  
unanimiter elegerunt ad vitam, ut de Urbis disponat  
regimine, sicut placet, ac sit ipsum  
dominus, et judex, qui eorum est pastor, et ut  
dominetur Urbi, qui imperat toti orbi. Ante tamen  
quam ipse dominus papa de Urbe ipsa disponat,  
ad regium tanti populi dominium Philippum  
de Lavena praemittit. Tantumque regem  
venientem ad reddendum debitae fidei solitum juramentum,  
quod cuilibet summo pontifici praestare  
tenetur, ad romanum dominium restitut  
praelibatum; et quia, ipse dominus papa per electionem  
publice obtinebat, donat regi de gratia  
liberali. Per hujusmodi autem dignitatis senatoriae  
concessionem, quam dominus papa regi  
fecerat, quamplures sani capituli viri dubitabant  
constitutionem domini Nicolai super regimine  
Urbis editam tacite revocatam: unde adstruebant  
regem Carolum posse tenere per concessionem  
populi senatoriam dignitatem Urbis et dominium  
vita sua, et a summo pontifice obeunte.  
Sit, inquam, dominus papa circa regios praefectos  
attentus, contra honores pervigil, zelator  
suae gloriae, ac de sui status magnitudine timoratus.  
Rex ad haec, postquam senatus adeptus  
est gloriam, anhelat ad passagium Romaniae:  
habet enim jam fautorem sui propositi, ac sui  
negotii promotorem.  
Jam ergo accelerat suorum armamenta vasorum,

et, praeter apparatus innumeros galearum,  
tritarum, et lignorum grossorum pro equis, quae  
per totam Siciliam, Apuliam, Calabriam, Principatum,  
ac Terram Laboris delata sunt, et contexta,[Page 330]

et fere omnibus fulcimentis ornata, ad  
Panormum et Messanam proponit copertas equorum,  
sagittas, balistras, arcus, et missilia in  
multitudine fieri, et per eos artificari, qui unius  
cujusque rei experientiae nomen habent, et multa  
facit cum festinantia multa parari, quae ad  
tantum credit passagium opportuna. Quingentos  
pullos dexterios custodiunt in valle Mazariae;  
facit etiam in valle Mazariae dictos pullos dexterios  
de diversis jumentorum suorum armentis  
electos cum sollicitudine custodiri, et exacta diligentia  
connutiriri. Interim autem cum Venetis  
per sollemnes nuncios contra Paleologum se confederat,  
et init pacta cum eis, fide vallata, quibus favet  
et annuit summus pontifex requisitus. Veneti  
ergo cum toto exercitu, quem habent, aut  
habere possunt in mari, usque ad guerram finitam  
juvare fideliter pollicentur. Imperator autem  
constantinopolitanus, gener regis praedicti,  
qui regem ipsum in instantia quotidiana sollicitat  
ut paret cum celeritate passagium, dum  
tempus habet adcommendum, omnia quaecumque  
rex cum Venetis operatur, ipsis Venetis securum  
et servatum promittit, gratificat, et acceptat.

#### CAP. XIII

Regnicolae denuo vexantur, injuriisque afficiuntur:  
itaque eorum millia ultra exulant.  
Propter hujusmodi ad haec ordinamenta passagii,  
quibus omnes regni terrae sollicitantur ad  
operas, multa gravia regnicolis imprimitur,  
et graviora prioribus inculcant; collectae, ac  
mutua, et alia servitia praeter oppressiones infandas,  
quas a singulis terris regiae curiae  
exigit amplitudo, pravitas officiositatis ingeminat,  
gravat oppressos, et onerat importabili sarcina  
oneratos. Omnes feudatarii, omnesque nobiles,  
milites, et burgenses, et quaecumque personae  
habiles ad pugnandum habere viderentur,  
per diversorum locorum officiales jussi regis exacta  
indagine singulariter recensiti in quaternis  
curiae, tempore pedagii ad transfretandum cum  
rege possint sine labore perquiri, memoriter annotantur,  
nonnullos tantum fraudus et dolus officialium  
quaterno intitulat in dicto passagio aggregandos,  
quos ad bellum nec vires nec animus  
reddit aptos.

Perterrentur igitur adeo mille de regno, quod  
potius eligunt, regno dimisso, fugere, quam diem  
passagii expectare. Dicunt enim: "Sumus aere  
tenues et exhausti, ac exactione collectarum  
plurimum fatigati, plusquam valeant virium nostrarum  
facultates. Rex forsitan tempore passagii  
dabit nobis aliquid pro stipendiis trium mensium,  
tum postea nobis transfretantibus nihil  
dabit, et nos solummodo pro necessariorum apparatibus  
in ipso principio indigemus majori  
quantitate pecuniarum, quam valeant omnia  
nostra bona. Quid ergo nobis est potius, aut[Page 331]

quid gravius? Certe longe tolerabilius nobis  
est, ut vel hic in domo nostra, aut regis judicio,  
aut latitando moriamur, vel, dimisso regi  
nostro patrimonio, fugiamus; quam in Romania  
fame aut gladio pereamus. Praeterea pro quo  
domino debent subagi nostris dispendiis et mortibus  
Romani? Nonne acquiritur genero nostri  
regis? an rex etiam imperator constantinopolitanus?  
An profecto si regi nostro imperium, aut  
haeredibus suis remanere deberet; forsitan  
quidquid occasione ipsius passagii ultra debitum

nobis infertur, animos nostros efficeret ad servitia promptiores, et fortiores ad honera humeris supportanda? Sed, ubi nec domino nostro conquerimus, nec nobis prodesse valemus, ad quid facultates nostras, et vitam etiam nostram ponere volumus pro regno alteri dimicando?". Hiis sane querulosis vocibus omnes emittunt murmura singultuosa cum questibus.

#### CAP. XIV

Rex Karolus Stendarum vicarii munere ornatum Romam mittit; qui perperam munere suo fungitur.  
Rex interea, Urbis dominium vilipendens, non memor honoris et commodi, quod quondam attulit regimen Urbis, statum ejus vicariorum, suorum insufficientiam et honestatem, et bonum pacis et justitiae, ad quod animo et via regia ante studuerat, ignorantiae crassae ac supinæ probroso labore contaminat et denigrat. Primo enim post resumptum officium Standardum mittit vicarium ad dictæ civitatis regimen defendendum, qui, licet in armis sit strenuus, et animum habeat bellicosum, inexpertus est in regimine civitatum. Quod si ad excusandas xcusationes in malis velit asserere, quod quidem contra partem guelfam Urbis egit ingebellire favorem de conniventia et mandato regio procedebat; hoc rectoris industriam non excusat, pro eo quod qui vocatur ad regimen populi alicujus, vel manibus stateram expendat, qua justitiae libra libert excessus, vel ipsum regimen non acceptet. Referat ergo Pandulfo de Sabello grates, ipsiusque peritiam studeat commendare super eo; quamquam in obsidione panestrina gibellinorum Urbis congregavit exhortia guelforum, multitudo nobilium, quae in illa civitate convenerat, secum bello inito non certavit; quantumcumque enim bellorum litis dubius sit eventus, credi tum potest quod illa coadunatio guelfa, cuius vestigia praedictus Pandulfus verbo pacis et concordiae intus subsistere cohibebat, adversus Standardum ipsum, et comitivam suam gallicam, ac totum gibellinorum exercitum concertando, propter personarum bonitatem poterat prævalere.[Page 332]

Sed supernus accensarum voluntatum extinxitor, ignem suppositum ad comburendum Urbem et incolas suaæ inspectionis aqua compressit, illius sanctæ civitatis, sanctorum suorum sanguinis alveo rubricatae, exterminium finale non passus, obsidentium modificavit superbiam, et voluntarie obssessorum animos quietavit et corda: non tamen stetit, ut referunt, per Stendarum, quin omnes nobiles Urbis, divisi tunc personis et votis, parte alteri assistente, in aperto campo dimicarent. Asseritur enim, quod, si verum est, salva pace dicentis, non est regii honoris ad famam, quod cum dicto Stendardo in campis in obsidione Paenestrium moranti dictum per quemdam nobilem redargutione fuisset, quod male et inique agebat, et regi poterat displicere, concitare omnes romanos nobiles ad tanta discrimina, per quae tota civitas romana erat magnæ suaæ desolationi parata, dictus Stendarus juvenili et non praesidis voce respondit quod regi credebat placere, si numerum populi civitatis romanae ad nihilum posset reducere, statumque Urbis humiliare quam cito ad castri usque minimi parvitatem.

#### CAP. XV

Stendardo Philippus de Lavena succedit. Post completum Stendardi officium transmissus est ad Urbem regius vicarius Philippus de Lavena, qui, licet quantum Stendarus cum vigore non fulgeat, tamen sui regiminis tempus sub

quadam desidiae dissimulatione pertransiens,  
igni supposito inter nobiles fomenta non praestitit,  
nec terrae scandala et iniquitates adhibuit,  
sed, Capitolii contentus custodia, circa nobiles  
et eorum facta, rectoris sollicitudine, minorum  
et popularium tantum excessus, qui non erant  
alicui majori familiaritate constricti, sicut poterat,  
puniebat. Nihil tamen in officiis faciendis  
in praedicto gibellini favore solito declinabat,  
pro eo quod publice asserebat regi placere non  
modicum si guelforum statu depresso sui vicariatus  
objectu gibellinos auxilio auctoritatis ac  
favore officii adjuvaret. Propter quod deinceps  
omnia gesta vicariorum regis ... erant, et  
ad malum retorquebant eorum, et finem probrosum  
sortiebantur, interdum et dies sui regiminis  
infideliter finiebant. Jam enim pars guelfa  
perpenderat quod rex non habebat rectum animum  
contra eam, quodque vicarii sui per viam  
deviam et non rectam perversis voluntatibus incedebant.

EXPLICIT

LIBER SEPTIMUS[Page 333]

INCIPIT LIBER OCTAVUS

CAPUT I

PONUNTUR QUAEDAM GENERALIA, UT VENIATUR  
AD NOTITIAM REBELLATIONIS SICILIAE.

Omnia nutu Dei reguntur, singula prudentia  
divina disponit; et qui principium dat prosperum,  
promittit finem aliquando infelicem, quique  
debite videt exordium, exitum nonnunquam  
beatum indulget: quamquam rerum exitum prudentia  
metiatur. Quis credere debuissest statum  
tam grandem, tam sublimem, et excedentem  
magnas in orbe potentias, per regnicolas posse  
quati? quis regem opinaretur, propter inimicam  
gentem gallicam, quam alebat in regno, tanta  
posse pati dispendia? ut ne fieret passagium Romaniae,  
tot expendiis, tot modis sanae deliberationis  
orditum, rexque sibi anxietate deficeret,  
sciso regno? quis futuris potest praecavere periculis?

CAP.

II

ALLOQUITUR REGEM, QUIA GALLICORUM  
NON COMPESCAT EXCESSUS.

O rex inclite, usque ad haec tempora felix,  
si quando gens gallica singulorum in regno viventium  
incessum calumniabatur, et visum vultumque  
similiter detrahebat, et suspicabatur aliud,  
in simplicitate multorum gentis ejusdem  
corripusses excessus, ad querelas gravatorum  
ab officialibus aures praebusses benignas, et credisses  
patienti acclamationi, et fuisses dolori  
compassus; regni tui non vidisses scissuras, nec  
gentem gallicam laceratam. Senuit forsitan virtus  
tua, auro caligant oculi, ut non recta disdiscrant?  
Vergit deorsum conditio corporis, et  
fervor spiritus ad instantiam jam tepescit. Doleo  
super te, tuosque haeredes, qui sine te nihil possunt  
..... ad votivae pacis rectitudinem reformata.  
Sub te viator tutus erat ab insidiis invasoris,  
in te quiescebat in hospitio fessus hospes, te caeca  
haeresis verebatur, omnisque infidelitatis error  
tuue potestatis dominium fugiebat; Ecclesia,  
in cuius custodiā electus eras athleta, tuo tyrocinio  
libertatem debitam obtinebat. Nunc autem  
solam regnorum externorum cupido, per  
quam oportebat subditos necessario regravare, nec  
non desidiosa negligentiae lentitudo, qua gentis  
tuue non advertebas excessus, aut, si advertebas,  
dissimulabas te non videre, vel sine conscientia  
tua fieri quod videre debebas, tui judicij acumen  
offuscant. Non enim caret scrupulo societatis occultae,  
qui manifesto facinori desinit obviare:  
ecce jam ultra non vales occurrere, aut subvenire

gladius pertransivit; jam enim ignis subcensus est ab eis, qui tangent montes, et fumigabunt; jam etiam uno amaritudinis turbine singulorum sunt corda turbata, et eadem amaricatione conquesta, et dira cogitatione perversa cogitant, omnes ut vel simul una hora subita terra diglutiat, vel sub fortunae vexillo rebellent contra facta tuorum, opportunitate captata.

CAP. III

DICTATOR ALLOQUITUR REGEM.

Non ergo sit tibi suspectus meus calamus, nec tibi aut tuis lingua meam credas obnoxiam, aut sermonem in aliquo detractorem, si tua stylo gesta per terram, quamquam dum virtutum experientia tua opera claruerunt, praeconiae linguae decretum laudis apposui, et subsequentia toti Italiae de tuo dominio commoda diffinitiva sententia promulgavi: non enim in te adstruxi vitia haec; tantum duo redargui, cupidinem, ex qua proveniebant gravamina subditorum, et negligentiam, qua effrenis tuae gentis excessus remanent incorrecti. Laudabit te anima mea usque ad mortem, qui utinam mores gallicos latini condimento saporis delicate temperasses, aut croco tusco tuorum superficiem colorasses! Quis enim est, qui ad stimulum ferreum non recalcitret, qui non clamet, si baculo contundatur, et qui non fugit, si lupum contra se videat venientem, aut si, habens defensionis arma, evaginato gladio non resistit? si animalia quidem descriptio carentia, carnifice viso, diffugiunt, et nonnulla, si fugere nequeant, cornupetant, et resistant, ut cornua funibus non liget manus carnificis truculentia? Vicisti quidem reges et bella, et subjugasti gentes, ac, si expeditisset, mille post haec certamina campestria superasses; et haec tantum duo, quae animi voluntate consistunt, superare nullatenus potuisti. Certe inexpugnabilis est gravis animi noxius appetitus.

CAP. IV

INCIPIT INITIUM PANORMITANORUM

SEDITIONIS.

Igitur, domino Auberto de Aurelianis regente Siciliam officio vicariatus, nonnulli cives panormitani utriusque sexus ad sollemnizandum quoddam festum exeunt a terra, quod annali memoria magno laetitiae jubilo, laetisque tripudiis gaudiorum consueverunt pascali tempore celebrare; exeunt, et quamplures advenae juvenes cum eisdem ex praedictis forsitan arma multi aliqua deferunt, sed occulte pro curia, nam [Page 335]

edictum de armis non portandis in regno est poenale. Conveniunt ad tanti festus tripudia quidam servientes gallici, familiares forsitan justitiarii regionis, non ad concelebrandum tanti festus solatia, sed potius ad turbandum; qui nati utinam non fuissent, aut non venissent in regnum! Obviant extra terram agminibus virorum et mulierum laudantium in choreis, inchoant tripudiare cum ipsis, manus jungunt manibus, et disceptant brachia per choreas, muliebres manus Gallici contrectant, forsitan ultra quam decet tripudantium honestatem; convertunt oculos ad formosas, et quas manu pedeque nequeunt tangere, verborum significazione sollicitant, et nutibus oculorum. Jam aspectis excessibus hujusmodi, qui potius poterant dici, cum sola hilaritas hos faceret animosos, quidam insolentes panormitani juvenes cum quibusdam gayetanis exilibus provocantur, menteque turbata, versus Gallicos in quaedam verba contumeliosa prorumpunt. Gallici non aeque animo perferunt

verba probosa, sed ajunt: "Non potest esse quod isti mali patareni arma non deferant, ubi cum tanta nobis audacia dant responsa; rimemur, si est inter eos armatus aliquis, aut qui cultellum percussorum penes se habeat, sive ensem". Rimantur igitur; furor accensus est animorum; cum armis, lapidibus irruit in Gallicos panormitana juventus, factus ibi multorum concursus contra Gallicos armatorum; tandem pars major illorum servientium lapidibus obruta, et lacerata gladiis corruit cruentatis: ludus enim genuit trepidum certamen et iram, truces inimicitias, et funebre bellum. Contra Gallicos ergo extra terram commota est funesta seditio, intraque terram cum exteris seditiosi clamores, populique tumultus. Adunatur tumultuosa multitudo dicentium: "Moriantur Gallici, moriantur".

CAP. V

Gallicorum caedes.

Sicque in populo scelerato erecto capitaneo quodam Rogerio de Magistro Angelo, crescit seditio contra Gallos, crescitque pestifer popularis tumultus. Distinguuntur seditiosi per agmina, et Gallos per terram usqueaque perquirunt, et inventos trucidant immaniter sine pietate. Non parcunt sexui, vel aetati; sed matres cum infantibus vagientibus lacerant, alios inter trepidam partus opprimunt viscera, et occidunt, aliasque inter maternas ulnas caepta fuga diripiunt, et eorum frustratim membra discerpunt. Quamplures intempestive maternis apertis uteris, et visceribus laniatis, educunt in dium, quos adhuc tanquam maternarum viscerum portionem luce carentes ortus privant et luce futura. Non solum ad haec in mulieres gallicas taliter saevit panormitana feritas, sed Gallorum conceptus, quas alvus mulieris latinae inter viscerum claustrum celabat, crudeli rimatur gladio, quo periit simul[Page 336]

conciens et conceptus. Pereunt Gallici gladiis impiorum, et omnes, quos non fugae juvit remedium, quoscumque discurrentes lictores per terram ad Gallicorum excidia deputati, poterant invenire, infandae mortis crudelis poena dijudicat. Nullus aggredienti lictori manu restitit ultrice, nullus gladium exerit ut excutiat percussorem; sed, panormitano viso satellite, mortem patienter expectat, credens, quod manu perit impii, tamquam cruce signatus, statim ingredi gloriam salvatorum. Irruunt ergo in Gallicos tamquam in parietem inclinatam et impulsam maceriem, quos capere possunt interficiunt universos, sicque pereunt.

Et, si aliquando inveniantur aliqui latitantes, gladios proprios evaginant, et porrigunt eos persecutoribus homicidis, ut non alieno, sed proprio gladio pereant et occumbant; ac, ut unusquisque mortem praeveniat sotii, et celerius alter altero moriatur, porrigendo gladium, prompte dicit: "Interficide me, interficide me". Verum sub unius criptae latibulo quidam dum latitant servientes, unus ex eis tamen, assumens vigorem in animo, evaginat gladium contra eos, qui secretum criptae gladiis rimabantur extractis, et affectans aliquem de inimicis commori cum ipso, ut vindicata morte manu propria postmodum moriatur, clamore alto reddit vicem; aggreditur occurrentes criptae glomeratos, ad vada cuius gladio tres fuerunt eo subsequenter moriente praemortui, reliquos vero sine resistentia consequentium consternit impietas, et in poculo crudelitatis absorbet.

CAP. VI

Per totam Siciliam tumultus divulgatur. Divulgata igitur per totam vallem Mazzariae

Panormitanorum rebellionem, et quod tam immaniter  
pertractaverunt Gallicos, inebriatur, et eodem  
errore malitiae execetur. Eriguntur in terris  
populares rectores, et capitanei fiunt in pleibus  
ad Gallicos persequendos, fitque tanta Gallicorum  
persecutio, tanta strages, quod quicunque  
poterat interficere Gallicum, reputabat se  
Deo magnum obsequium praestitisse. Illi potissime  
de castro Corillioni, facto capitaneo domino  
Bonifatio milite de castro eodem, quo duce  
postea forsitan terna milia incolarum sic anxie,  
sic avide paequirere gentem gallicam incepérunt,  
ac si patres, fratres, aut eorum filios quilibet  
Gallicus perimisset. Pergunt ad quoddam  
castrum, in quo justitiarius regius cum quibusdam  
Gallicis familiaribus se, sicut poterat, receptarat:  
et tam justiciarium, quam totam familiam,  
proh dolor, sine misericordia trucidant.

Accedunt etiam eodem anxietatis durante furore [Page 337]

ad regiam massariam, ubi stabulantur dexterii  
pulli indomiti, licet ex eis multi froena portassent,  
omnesque diripit scelerata plebeja multitudo,  
et convertit eos in usum rebellionis assumptae,  
quos massaria regis contra Graecos scismaticos  
reservabat. Jungunt se simul Lombardi  
de Corillione cum Panormitanis, ad quod etiam  
illa tota contrata una eademque spiritus furia  
concitata concurrit; confluunt omnes sanguinem  
gallicum sitientes, et ibi simul quaecumque passi  
sunt ullo unquam tempore a Gallicis, voce  
impetuosa, rememorant, unanimiter conclamantes:  
"Moriamur omnes, antequam velimus amplius  
dominium Gallicorum". Et adunato parlamento,  
surgit capitaneus Palermitanorum, et  
ait ad populum:

CAP. VII

Panormitanorum capitanei allocutio.

"Res est magni ausus, quam proxime attentavimus;  
opera fecimus contra regem nulla digna  
venia. Regis est etiam tanta ferocitas, tanta  
saevitia, tantaque inhumanitas erga regnicolas,  
quod apud eum excessus nostros hujus  
penitentia nulla redimet, nec nostra conversio  
suum ad nos animum mitigaret, pro eo quod  
abjecimus regis dominium, quod habet a romana  
Ecclesia. Vereor multum ne Sedes apostolica  
propterea contra nos sit modo aliquo  
provocata, nec est tutum quod, ex quo regem  
offendimus, turbemus Ecclesiam. Magna est enim  
utriusque potentia, et praeципue vires Ecclesiae  
sunt tales et tantae, quod nullo possunt  
deficere tempore, licet ad tempus per thirannos  
et superbos principes aliquando conquassetur,  
nec etiam negare possumus Ecclesiae  
vassallagium. Directum enim Siciliae dominium  
quis dubitat ad romanam Ecclesiam pertinere?  
Quid ergo nobis restat agendum, certe ut Eccle  
siam dominam nostram aliquatenus non ledamus,  
nec ejus perdamus gratiam, qui regiam taliter,  
sic pro firmo tenete, perdidimus, ut nullam  
spem in eo, aut fiduciam habeatis. Videtur  
ergo mihi, quod quidquid egerimus, nomine faciamus  
Ecclesiae, ac sub vexillo ejus discurramus  
exercitu per Siciliam, et terras ad devotionem  
et fidem Ecclesiae, abjurato Gallicorum dominio,  
convertamus. Sumus etiam tot, et tales,  
qui affectamus bonum statum, et libertatem omnium  
Siculorum, quod vel timore vel voluntate  
terras usque Messanam nostrae voluntati sine resistentia  
uniemus. Messani quoque, postquam vident  
totam Siciliam contra Gallicos rebellatam,  
facient illud idem, et, si non facerent, posset eis  
esse ad damnum, nam postmodum contra eos  
ordinaremus aliud, cum non....quod se a

tota Sicilia voluerint segregare, quos par Gallicorum  
attrivit excessus, ac eadem superbia.[Page 338]

conquassavit. An eorum cum nostris animos  
audere non creditis, an non attenditis ipsos nobiscum  
pressura multiplici affligi Gallicorum?  
Omnes morbo laboramus eodem, omnes unus  
stimulus aggressionis affecit; Deus forsitan, qui  
mala gentis nostrae ulterius pati noluit, nostrorum  
initiator est operum; ipse finem prosperum  
poterit indulgere. Novit enim ..... quia  
malis quotidie ingravescentibus ..... incepimus,  
quod est actum".

CAP. VIII

Corillionensium capitanei responsum.  
Capitaneus ad haec populi de Corilliono surgit,  
et ait:

"O quam est sapientia praeditum quidquid  
dominus Rogerius consuluit! et totus populus  
de Corilliono ipsum, et vos, domini Panormitani,  
tamquam majores et dominos in omnibus  
actibus ac laboribus sequi proponit, et  
vult laborum et expensarum esse particeps,  
cum suis dominis Panormitanis partiri discrimina,  
feliciter mori, vel vivere cum eisdem,  
sicut fuerit fortuna currente concessum. Nescitis  
enim forsitan nostra mala? Ignoratis gravamina  
nostra? Consuevit habere pingues et  
fertiles massarias, et virtualibus abundare: modo  
a quatuor annis citra nullus nostrum tantum  
frumentum praeter alia virtualia omnia predicta  
recolloit, quod ad usum sufficeret domus  
suae. Sunt enim in contrata nostra equae ac jumenta  
regia, quae nostra omnia seminata depascunt,  
propter quod pauci seminant et quod  
jacuerit semen ad terram, non recolligunt aliquid.  
Praeterea, si magister massariae regiae  
curiae videbat aliquam salmatam bonae solcatae  
novalis, aut ovium nostrarum stercoribus  
impinguatae, ille statim occupat, dicens, quod  
vult ibi pro pullis regiis seminare farraginem.  
Oves autem nostrae, et alia pecora ibi non  
possunt vivere, pro eo quod si dictus magister  
massariae videat aliqua bona pascua, statim  
ponit omnia sub defensa. Hiis sumus huc usque  
spinis et tribulis per Gallicorum dominium tribulati:  
unde populus de Corilliono vult mori,  
si expediat vobiscum, domini Panormitani, et  
abjurat ex nunc ac detestatur dominium regis  
Caroli, et quicumque velit aliter, moriatur, et  
nos cum eis mori volumus et perire. Quare  
dum Gallici sunt perterriti, dum universitates  
per Siciliam trepidant robore nullo firmatae,  
videtur mihi quod per Siciliam exercitualiter,  
mora postposita, procedamus, et nos sumus  
illi, qui manus nostras intendimus cruentare in  
sanguine illorum, qui non statim abjurabunt fidem  
et dominium Gallicorum".[Page 339]

Respondit populus seditiosus vocibus, et tumultu:

"Eamus, eamus, eamus".

CAP. IX

Sicilia tota turbas facit. Galli ultiro discedunt  
aut pelluntur.

Parlamento igitur dissoluto, statim Panormitani  
vexillum Ecclesiae fabricant cum clavibus  
sculptis in margine, ac vexillum ordiuntur  
Communis, quod ei faciunt illi de Corilliono,  
quibus imminere totus rei pondus sollicite videbatur;  
aliae et locorum universitates, quas unus  
rebellionis error adduxerat, instar Panormitanorum  
recipiunt et sequelam. Accelerat ergo  
per Siciliam inchoata vestigia multitudi languentium,  
quorum erat cor unum et anima;  
praemittunt per terras nuntios, per quos petunt

universitates intrare per sindicos ad bonum statum  
communem, et Siciliae libertatem, ac deinde  
Panormitanorum et Ecclesiae romanae parere  
mandatis, abjurata protinus fide, qua regi  
Carolo tenebantur.

Postquam igitur per nonnulla loca Panormitani,  
eorumque sequaces taliter discurrerunt, rediit  
ad propria fatigata nimium multitudo. Jam  
enim Gallicis dimissis terris, et a castris etiam  
fortissimis fugientibus, per se terra quaelibet rebellabat.

Illa vero terra, quae Gallicis nolebat  
inferre personales offensas, eos bonis omnibus  
spoliatos abire libere permittebant. Conveniunt  
ergo Gallici qui supererant omnes Messanae, illuc  
conveniunt Siciliae vicarii, illuc aliqui milites  
calabri Gallicorum fideles cum domino Petro  
de Catansario similiter configurerunt, qui licet de  
rebellione Messanorum nihil adhuc perpendere  
potuissent, nihilominus id quod postmodum accidit  
plurimum verebantur.

Fiunt inter haec in tota Sicilia capitanei populorum,  
dominus Alemannus in Valle Noti, et  
tandem in tota Sicilia capitaneus dominus Sanctorus  
de Lentino in Valle Demini, et plano Milatii  
dominus Johannes Foreste Lentini, dominus  
Symon de Callatafimo in montibus Lombardorum,  
et multi alii nobiles in regionibus ac  
terrī Siciliae capitanei eriguntur.

Siculis igitur omnibus jam resumpto inveterati  
erroris amictu, renovatis perfidia in aquilae  
juventutem, ut a tantae rebellionis ausibus  
Messanenses non redderent se immunes, sed caecorum  
caeci ducatum erroneae sequerentur, etiam  
ductor quam ductus in fauce jam fossae, praecipitum  
collabuntur; tumultu subito conciti, ac seditionis  
machina commoti, contra Gallicorum  
capitaneos omnes milites gallicos clamore magno  
vificeferant: "Moriantur Gallici, moriantur;  
pereat, pereat, qui eorum dominium appetit de  
caetero, aut vult". Verum populi contra Gallicos  
invalescente tumultu, aliqui Messani de melioribus

[Page 340]

terrae, quasi mediī et internuncii apud Gallicos  
ex parte populi concitati, dicunt vicario  
regio, et nobilibus gallicis, si volunt a furia populi  
suas salvare personas, dimissis equis populo,  
secure remeent. Comes Petrus ad haec quasi  
praemonitus fuerat per aliquos de Messana suos  
amicos, ut prevenirent in discedendo Gallicos,  
cum jam contra eos esset laetifica ordinata seditio,  
ita quod in paucos dies Messanae ulterius  
non debeat remanere, ascendit cum comitiva sua  
galeam, et equos suos, quos praecavere non potuit,  
et multo dimisit plura populo sitienti. Vicarius  
autem, et Gallici, postmodum pervenientes  
ad portum, vix personas in mari, equis et arrensibus  
dimissis intra, salvas facere potuerunt;  
nam antequam carinas introēant, ecce clamor  
validus populi contra eos mortis insidias minabatur.  
Ergo eorum equi per audentes juvenes  
messanos, quibus jam non est jus in aliquo contraire  
.... illius terrae, qui alibi nominantur antiqui  
nobiles: nam cedendum est concitatae multitudini,  
et excitae juventuti.

CAP. X

Siculi de rebus agendis consulunt.

Ecce jam tota Sicilia, regis abjurato dominio,  
uno spiritu rebellionis assumpto, tremescit, nutat  
in agendis, et varietate propositi fit perplexa.  
Est qui consulat, ut ex parte omnium universitatum  
terrarum ad romanam Ecclesiam sollemnes  
nuntii destinentur, et claves portarum terrae  
cujuslibet transmittantur, ac sancto Patri summo  
pontifici supplicetur, ut filios suos, dominium  
volentes sanctae Ecclesiae, ad gratiam et protectionem

apostolicae benignitatis admittat: ipsi  
enim parati sunt ad recipiendum per Ecclesiam  
in capitaneum, dominum, et rectorem quemcumque  
duxerit destinandum. Supplicetur domino  
papae, ac fratribus suis dominis cardinalibus,  
"ut non patientur, quod Gallicus ulterius nostrae  
insulæ dominetur, et quod nos non faciat desperationis  
filios, privando nos nostræ matris  
Sedis apostolicae complexibus, quibus complectitur  
infideles, quando volunt ad ipsius fidei devotionem  
redire, operibus perfidiae abjuratis".  
Alius aliud dat consilium, dicens: "Bona et recta  
via est, quae dicitur; sed, si Ecclesia romana  
nolit nos sub pactis ad mandata recipere, quia  
papa gallicus est, et regi Carolo favet in quantum  
potest, quia etiam forsitan contra nos de  
caede Gallicorum est provocatus, et voluerit,  
quod ad ipsius regis dominium redeamus, quid  
agemus? ex tunc erit error pejor priore. Videtur  
ergo mihi quod hanc viam aggrediamur,  
quam dicitis, et quae salutis est; sed interim  
teneamus tractatum cum aliquo ambitioso rege,  
si nos pro suis velit recipere, et suis viribus defensare;  
et praecipue in Hispania bonos viros  
nuntios transmittamus, et subjiciamus nos ei,  
aut regi Castellæ, cuius patrem dompnum Henricum,[Page 341]

rex Carolus carceri tenet adstrictum, aut  
domino Petro regi Aragonum, genero quondam  
nostri regis Manfredi; sed credendum est magis  
quod dominus Petrus nos pro suis recipiat,  
defendat, et quodammodo ad uxorem ac filios  
suos regnum ex successione regis Manfredi pertinet,  
cui haeredes alii non supersunt. Audivi  
etiam, quod rex Carolus vehementer de ipso  
dubitabat, praecipue occasione Provinciae, quam  
ad se dicit rex Aragonus pertinere. Praeterea  
intellexi, quod ingentem paravit armatam, et  
copiosum gentis catalanae congregavit exercitum.  
Forsitan, si audiat Siciliam contra Gallicos  
rebellionis duræ suscepisse cervicem, et quod  
Siculi volunt eum, aut unum ex filiis suis regis  
Manfredi nepotibus pro rege proprio, veniet ad  
salvandum nos; est enim homo in armis strenuus,  
et cupidus terræ, qui forte armatam non  
fecisset, nisi ut terram aliquam subagere valeat  
regno suo. Interim etiam consulo, quod terras  
marinarum et victualibus et manu hominum  
muniamus: nescimus enim quid contingere debeat.  
Posset accidere sane, quod rex Carolus  
hac aestate ad nos cum suarum extolio galearum  
transiret. Messanam ad haec civitatem,  
quae clavis et custodia est totius Siciliae, et  
quae a se satis frumenta non habet, muniamus  
victualibus optime pro duobus annis saltem, et  
ordinemus homines arcerios et balistrarios de  
montanis ad ipsius defensionem venire, si incolae  
non sufficient. Ad custodiam aliarum terrarum,  
quae sunt juxta mare, Augustae, Syracusiae,  
Cathaniae, et ex ista parte nostra Milatii,  
pactensis civitatis, et cephaludensis, nec  
non aliorum locorum debilium, viros idoneos  
deputemus, qui ad praeservandum ipsas terras,  
sollicite ac vigilanter excubent et intendant".  
Ad predicta sane in Messana civitate ordinanda,  
quae tandem fuerant deliberato Syculorum  
consilio ordinata, nuntii et ambasciatores  
omnium universitatum Siciliae convenerunt, quos  
futurorum cautela grandis angebat, et sollicita  
cura custodiae terrarum fortius stimulabat.  
CAP. XI  
Rex Karolus ad transfretandum in Siciliam se parat.  
Interea rex Carolus se ad transfretandum parat  
in insulam, cujus licet major pars navigii esset  
Messanae, cum quo credebat sollemnizare passagium

Romaniae, de reliquis tamen vascellis, quaecumque per diversa regni loca paraverat, sufficienter poterat habere conservam ad passagium in Siciliam faciendum. Nihilominus autem XXIIII galeas armatas de Provincia in regnum praeceperit adventuras, IIII galeas advocat Pisanorum, quas regi pro regno rebellato generalem exercitum congreganti, per quamdam compositionem pacis, ei amicitiae foederis inter ipsos Pisanos ac regem Carolum initam ac firmatam, pro ejusdem regis subsidio dare debent, cum fuerint requisiti.[Page 342]

## CAP. XII

Sedes Apostolica Siculos excommunicat. Rex Aragonum oppidum in Barbaria Alcollum capit, ibique castra ponit.

Post haec contra Syculos Sedes apostolica, praecipue contra Panormitanos, rebellionis initiatores, et capita scismatis, et sedictiosae factionis actores, nec non contra omnes complices ac fautores, et aliquos eis auxilium impendentes, terribiles ac poenales processus definite pronuntiat, et post promulgationem processuum dominum Gerardum de Parma sabinensem episcopum nuntium cum plenae legationis officio in favorem regium destinavit in regnum. Verum dum summus pontifex ad vitandum aestivos aestus et intemperiem temporis suspectosi dies laetos apud montem Flasconis ageret, curis curiae praetermissis, famosa relatio subito supervenit, quae aliquantulum ejus animum grati rumoris exhilarat; nuncius refert videlicet, quod rex Aragonum in Barbariam navigia sua direxerat, ibique prope antiquam civitatem Cartaginis feliciter applicans apud quoddam castrum populosum, quod Alcollum dicitur, direxerat anchoras, quod castrum de jurisdictione soldani Boiciae ac fratri regis Tunisii fertur esse.

Hoc autem castrum, quod habere dicitur XV M. incolarum, ipsis incolis fugientibus, et ipsam terram dimittentibus liberam, hostiliter occupant Catalani. Veruntamen nonnulli, quos premebat taediosa senectus, et quos paupertas extrema gravabat, aut alebat infanta iuventutis, ad fugam remanserunt hebetes; per hos enim quidquid praetiosum sub terra per fugientes fuerat occultatum, aut super terra dimissum, sub spe redeundi ad castrum, ad manus Catalanorum et regis sine dimicione pervenit. Incolae enim ipsius castri opinantes quod tantum vascellorum extolium statim, prospero vento flante, suam ulterius in portu non figeret stationem, omnia fere bona dimiserant occultata. Unde frequentes venientes ad collum summitates, et modo centum, modo mille, aut plus vel minus, ascendentes cacumine montium super castrum, ut viderent, si, submotis ancoris, ventis carinae hostium vela dedissent, stupefacti retrocedebant animis, et confusi: aspiciebant enim a longe de altitudine eminenti tendas et arbores vasorum in portu ad instar arundinis flatibus agitari, et gentes catalanas in castrum ascendentes et descendentes in multitudine incolarum, quasi ad proprium incolatum.

## CAP. XIII

Reges Arabum et Tunisii in Catalanos delectum habent: hi autem castra muniunt.

Licet adhuc reges Arabum et Tunisii de adventu Catalanorum pavescerent, de mora tamen cooperunt fortius dubitare, ne in favore cujusdam[Page 343]

soldani sui regis consanguinei et vassalli regis Tunisii, contra quem, tamquam rebellem sibi, rex Tunisii quotidianis insultibus bellum moverat, Aragonenses venissent, partes illas hostiliter turbaturi. Propter quod copiosam Arabum multitudinem

congregavit, ut statim possint Catalanos  
sine aliqua eorum resistentia deglutire; capiunt  
illum soldanum, ad cuius vocationem credebat  
regem illuc Aragonum accessisse, accinguntque  
se post haec ut versus Alcollum veniant,  
cogitantes in multitudine absorbere. De praedictis  
autem nihil adhuc innotuerat Catalanis; verumtamen  
ipsi nihilominus, cum de Saracenorum  
numero formidarent, eminentiorem et fortiorum  
locum castri, in quo possent se, si casus  
accideret, salubriter receptare, vertescarum lignis  
munitionibus in circuitu munierunt.

#### CAP. XIV

Vir hebraeus Aragonum regem iter Arabum docet,  
eorumque adventum.

Quibus circa hujusmodi sollicitudinem intendentibus,  
ecce vir hebraeus de Catalonia oriundus,  
pannosa veste subcinctus, de Tunisio veniens,  
quasi celitus missus, pro tot personarum  
periculis evitandis, subito castrum intrat. Hic  
sane gazas innumeritas industrioze apud Tunisium  
adunarat. Audito tum adventu regis Aragonum,  
quia coepit palam gaudere de magnitudine  
regis Aragonum, commendare ac asserere quod  
Catalani de cetero non dimitterent partes illas,  
nisi subactis regibus et gentibus Barbariae, ac per  
hoc timorem audientibus incutere non cessabat.  
Sermone hujusmodi divulgato, et ad regis aures  
delato, fuit Hebraeus per fiscum regis ejusdem  
bonis conquisitis spoliatus, et rediens ad primordia  
paupertatis, venit ad regem Aragonum, sicut  
profuga a patria relegatus, et ductus ad regis  
praesentiam, ait regi: "Domine mi rex, vassallus  
tuus ego sum, de Catalonia oriundus; juvenis  
apud barbaros sum nutritus, crevique Tunisii,  
ubi magnas divitias lucrifeci, gazasque innumeratas  
propria industria congregavi. Nunc autem  
audio adventu vestro prospero, quia per Saracenos  
plurimum opprimebar, et quotidie me a  
vexationibus redimere oportebat, coepi palam  
laetitia multa respergi, et magnalia Dei, probitatem  
vestram, et progenitorum vestrorum cum  
cordis hilaritate referre, ac qualiter contra Saracenos  
opera regum Aragonae prospere claruerant,  
adstruens per hoc, quod tanta esset  
regiae et catalanae gentis strenuitas, quod facile  
foret vobis totam ditioni vestrae subagere  
Barbariam. Exiit in publicum sermo meus, et  
ad aures regias convolavit; rex autem me propterea  
omnibus acquisitis occasionaliter spoliavit,  
sicque nudus, ut videtis, remansi, qui affluebam  
innumeris praetiosis. Quapropter, mi  
domine, non attendatis ad vestes, si ad vos paupere  
veste veni, et respicite fidei devotionem,[Page 344]

quae adhuc in vassallo vestro viget erga magnificentiam  
vestram. Plusquam unquam credite  
verbo, non vestibus, et probate facta, non habitum.  
Ecce, mi domine rex, capto tali soldano,  
qui se vobiscum foedere colligare credebat, et  
cui adventus vester nimium placuit, plusquam  
centum milia equitum arabum contra vos ad  
duas dietas de prope sunt exercitualiter congregati,  
et opinantes vos omnes in primo insultu  
illico absorbere, deliberaverunt in parasseve sequentis  
haebdomadae castra vestra hora noctis  
invadere. Credo firmiter vos eis non posse resistere,  
quamquam bella non in multitudine, sed  
in virtute divina consistant: est enim sine numero,  
velut arena maris, equitum multitudo. Equas  
tantum insident, aut ronzinos, nulla fere, praeter  
arcus, arma gestantes; verum quamplures deferunt  
lanceas, nostris de Catalonia omnino dissimiles,  
et qui melius est armatus, gestat frustum  
corii camelini, aut bovinii, ante pectus,

et super spatulas".

Tunc rex Aragonum ex dictis verbis stuporem  
emittens in animo ait illi: "Est ne verum quod  
dicis? Dic, amice, nobis, qualiter sunt per agmina  
stabiliti, qualiter catervati incendant, aut quo  
ducatu regantur?" Judaeus respondit: "Centum  
Arabes unam sequuntur banneriam, sive pennonem;  
sicque vadit totus exercitus stabilitus,  
et habent singuli centum milites tale signum;  
postmodum vero decem pennones per mille equites  
habent vexillum, differens a primo longitudine  
et latitudine, sub cuius ducatu decem  
banneriae praedictae reguntur, et vocatur vexillum  
millenarium; deinde decem millenarii reguntur  
sub majore vexillo, quod vix potest manus  
et humerus fortis a nobis substinere; et  
sic omnis venientium contra vos multitudo Arabum  
est disposita, et processionaliter ordinata,  
praecedentibus semper pennoniferis, vexilliferis,  
ordine suo, juxta numerum dignitatum".

Ait Rex: "Qui praecedunt pugiles, et qui sequuntur,  
est ne inter eos ordo, ut praemittantur  
fortiores, et magis armis experti, aut nobiliores,  
et exercitus praesidentes?" Respondit Judaeus:  
"Domine, ordo est talis, quod omnes minores,  
et qui minus habentur in praetio, quos  
vocamus in Catalonia servientes, semper praecedunt,  
sequendo tamen bannerium et millenarium  
suum admirati; postmodum, et proceres,  
duces, et rectores, et domini multitudinis  
subsequuntur agminibus, ut praedixi, per numerum  
taliter ordinatis". Ait iterum Rex Hebraeo:  
"Quia videmus contratam planam absque collum  
eminenta in armorum vastitate jacentem, dic  
nobis, an tota sicut se oculis exhibet, sit adeo  
plana, quod ad nos per apertos campos, sine  
observationis obice, possit tanta multitudo venire?  
An de loco isto usque ad eos sint montes  
aliqui, aut aquosa palus, aut jugera nemorosa,  
vel aliquis passus, ita quod venientibus hostibus  
possit via paecludi, ne tam libere ad castra [Page 345]

nostra valeant pervenire?" Respondit Judaeus:  
"Domine, hic de prope ad tres leucas est passus  
unus concavus et arctissimus inter colles, per  
quem equites transire non possunt, nisi singulariter  
et unatim, ita quod homo discretus ac  
excubans posset transeuntes passus quoslibet  
numerare; passusque hujusmodi longus est fere  
per leucam, nec possent hoc Arabes per aliam  
viam proficisci. Et haec omnia, domine mi,  
quia ad vos cum tanta festinatio properavi, et  
ut vos primo cauti et attenti de Arabum adunata  
multitudine reddit, passum illum impedire  
ac praecidere valeatis". Tunc Rex ad Hebraeum:  
"Scires ad passum hujusmodi nos minare, et  
scis firmiter quod Arabes ad nos per viam aliam  
transire non possunt?" Respondit Hebraeus: "Domine,  
et passum novi, sicut ille, qui cum mercatoribus  
proinde frequentissime transivi, constatque  
mihi firmiter quod ille est Arabum rectus  
trames, quem vitare non possunt; nam  
inter illos colles via videtur manualiter esse  
facta et scissa ferreis instrumentis, quam artificialiter  
prudens effodit antiquitas, et callem ad  
mare per colles illos antiqua prudentia adinvenit".

CAP.

XV

Rex Aragonum adit passum, ac deinde, consilio

inito, suos proceres alloquitur.

Ecce jam rex Aragonum, Haebrei narratione  
praemonitus, nocte prima, luna XV lumen  
mortalibus in noctis caligine ministrante, vadit  
cum paucis equitibus sociatus ad passum, et cum  
diligentia collium vada perquirit, totumque locum

pede revolvit et oculo, ac omnia subtiliter  
per circuitum indagat, et explorat praecipue si  
pateat per viam aliam aditus Arabibus venire paratis;  
qui postquam jam sibi constat oculata fide  
quod ille erat introitus ille passus, per quem necessario  
pertransire barbaros oportebat, eadem  
nocte redit ad castra sua, et consilio cum majoribus  
de suo exercitu inito, ait sic eis: "Dies venit,  
in quo Dei potentia virtus poterit catalana  
clarere; tempus est ut in omnem eventum, Deo  
volente, palmam triumphi, et famosam coronam  
victoriae de gentibus infidelibus reportemus.  
Hostes crucis, ut audivistis referente Judaeo,  
contra nos sunt in multitudine sine numero  
congregati. Sed quid ad nos de numero canum?  
Non enim multitudo dimicat, non expugnat,  
sed fidelis dextera concertat, et animus constans  
vincit, non viribus, sed in virtute. Nonne  
unquam audivistis, quod dompnus avus noster  
recolendae memoriae cum X. C. tantum peditum  
V. C. equitum numero terras Saracenorum  
plurimas conquisivit, contra quem frequenter  
infideles in majori fuere quantitate, quam sint  
contra nos hodie congregati? et tandem cum eo  
divina dextra compugnante, grandis triumphi  
contra Saracenos meruit nomen et famam. Nonne

[Page 346]

etiam pater noster bon. mem. cum eisdem  
infidelibus diversis conflictibus habitis, similiter dimicavit?  
Paucitas strenuorum in virtute divina  
multitudini praevalebat. Est ne memoria, qua  
propter numerum ullo unquam tempore infideles  
victoriae laudem contra christianos meruerint  
concertando? Certe, domini, nos sumus in exercitu  
nostro hic VII. C. boni milites, armis experti,  
dextrarios properos considentes, habemus  
adhuc VII. C. nobilium servientium, quos probitas  
animi et generis ortus ad militiae decus  
habilitant, totidem equipollentes in strenuitatis  
virtute militibus; insuper sunt nobiscum VIII.  
M. peditum lanceas deferentium et jacula, quos  
animositas aequat equitibus ..... et probissimos  
Almogaveros stabilitos habet, et nostrae  
manus balistrariorum per regnum nostrum cum  
sollicitudine quaesitorum, quibus fere similes  
in tanto numero vix possent usque in regnum  
Franciae reperiri. Propter quod animos habere  
debemus, ut si contra nos totus conveniat paganismus  
cum spe vincendi, in Illius nomine, quem  
labiis maliloquis prophanant, et opibus, barbaros  
dimicemus. Nos ad haec tali die per acies  
ordinati, et ad bella parati, ad passum collium  
nocte media properabimus, per quem populosa  
Barbariae congregatio est ad nos inevitabiliter  
adventura: ibique gentem nostram per capitaneos,  
comestabulos, et almogaveros ordinatam  
taliter per acies vestro consilio disponemus,  
quod, dante Deo propitio, venientium tantum  
corpora triumphabiliter subjiciemus nostrarum  
manuum potestati.

#### CAP. XVI

Rex circa passum suos disponit.  
Adveniente igitur die, quo per passum collium  
gentem barbaram transituram Judaeus veridica  
voce praedixerat, rex Aragonum, dimisso in  
toto navigio et castro sufficienti custodia, circa  
primum gallicinium gentem suam cogit ad  
passum, ac in diversis locis per girum collium  
suos armatos collocat moraturos; et acies militum,  
servientium, balistrariorum et jaculatorum  
distinguens, omnes subsistere facit, unde  
pervenientes barbaros detegi non valeant, vel videri;  
ac eis singulis indicens omnino silentium,  
clamores prohibens, et murmura interdicens,  
personaliter cum militibus et centum balistrariis

ponit se juxta passum. Verumtamen cum tribus majoribus passui appropinquit, reliquos vero desuper passum in distantia ordinat ut succurrant, totumque per loca opaca quadrangulentur exercitum, deditque viris edictum, ut pro invadendis barbaris nullus praesumat egredi suum agmen, nisi audiret signum per ordinationem regiam datum eis. Signa sunt ista. Rex depresso sonitus cornu, arcto meatu confossum, gestabat ad collum: ad omnium primum sonum illi,[Page 347]

qui super passu in aliquali distantia fuerant constituti, cum magis stridolo cornu sonum reddere tenebantur, ita quod militia secundum cornu posset audire, cum tertio cornu miles ad haec deputatus vocis flatum emitteret ad servientes pedites, quibus quartum cornu traditum fuerat, ut et ipsi totam aliam exercitus multitudinem excitarent, et canente cornu ad bellum praemonerent. Tandem, auditio tertio sonitu cornui regis, reddentibus sonum aliis per ordinem tribus cornibus, in campum prodire totus exercitus tenebatur, et cum eis, qui jam transierint, barbaris dimicare. Sic igitur sunt in cornibus data signa, sicque sunt dispositi bellicosi.

#### CAP. XVII

Arabum multitudo passum transit.

Sed jam in ortu Luciferi manus barbara vadi passus egreditur, et praecedentes pennoniferos singuli centeni singulariter subsequuntur, et qui millenaria vexilla ferebant, milenos singulos praecedebant. Rex millenaria vexilla dinumerat, et cum jam decem millenarii pertransissent, ait miles suus collateralis ad regem: "Domine, jam hora videtur, ut aggrediamur passum, ne plures citra pertransient, nam omnes veniunt equites isti canes, unde satis ad mactandum sufficient genti nostrae". Rex ait ad militem: "Numquid non saltem transibunt tot, ut numerum aequent cum nostris? ecce transeunt alia decem miliaria". Et tunc comes Paliaricus, cuius consilio, quia strenuus erat et connutritus in armis, rex ut plurimum adhaerebat, ait regi: "Domine, sufficere modo possunt; non exponamus gentem nostram periculis ac fortunae; tutius dimicatur cum mille, quam cum decem militibus". Tunc rex ad comitem: "Quid dicis, comes? nunquam quod audiverimus verbum pusillanimitatis tantae tua virtus emisit, verbum, inquam, timoris et dubii contra canes". Transeuntibus ad haec quinque alii millenariis, post praedicta viginti, tertius collateralis regis socius, forsitan Rogerius de Laurea, murmurat versus regem: "Domine" ait "redde cornu sonitum". Rex non respondit ad quidquam: inde, allis quinque transeuntibus millenariis, iterum Rogerius murmur ingeminat: "Domine, jam triginta millaria transierunt, et nos adhuc plures transire patimur? Videte si tutum quid agimus, quia magna est multitudo". Nec adhuc rex aliquod verbum reddit, sed considerat tacitus et attentus. Demum, postquam XL millenaria transierunt, comes praedictus cum magno murmure mittit vocem, quam praetereuntes potuerunt audire, sed forsitan suos esse credebant: "Aut hebescis", inquit, "aut es tanta multitudine visa perterritus, aut ab heri factus es protinus mente captus. Vis ne mori? affectas gentem tuam perdere una hora, quam sub expensis et laboribus congregasti?" Redde igitur cornu flatum; alioquin aut in[Page 348]

hostes irruam, et simul omnes perdemur, aut ignota via diffugio me committam".

Nox igitur cadit, et jam aurora lucescit, et jam sunt XLV millia Arabum citra passum, jamque primus pennonifer attingit muros castri,

et plus quam decem pennoniferi subsequuntur et  
terrae burgum ingressi sunt. Mirantur, visis barbaris,  
hii qui ad castri custodiam remansere illic  
in eminentiori parte terrae, ad quam Arabes  
peruenire non poterant, et credunt totum eorum  
exercitum absortum per multitudinem barbarorum.  
Mirantur et Arabes solitudinem castri, et  
cogitant Catalanos, vel jam altum mare velis datis  
petivisse, vel navigio receptatos; dolent etiam  
Catalanos absentes, quos in castro concludere et  
arctare procul dubio crediderunt, et angustatos  
in circuitu, aut fame premente subigere, aut resistentes  
invitos capere per insultum.

#### CAP. XVIII

Arabum venientium fit magna caedes.

Ecce igitur regia tuba cornu concinit, et cetera  
cornua illico reddunt voces, ac tandem cornu regis  
tertio buccinante, centum balistrarii ora passus  
invadunt, et venientibus Arabibus viam praecidunt,  
ut subsstant, et plures transire non possint.  
Prosiliunt ad passum etiam comites regis et  
rex etiam cum eisdem, sicque prostratis corporibus  
hominum et equorum, passus adeo impeditur,  
quod facto caesorum obice in exitu passus  
ejusdem, plures Arabi citra venire non possunt.  
Irruunt et milites in barbaros a parte dextera,  
et eos aggrediuntur servientes per latera, et jaculatores  
invadunt; balistrarii autem ex parte anteriori  
emittunt acuta missilia velocia, sicut fulgur.  
Rex quoque cum aliis, obturato jam passu,  
dimissisque in custodia passus XX balistrariis  
cum IV militibus, posteriorem Arabum partem  
lancea premit, et gladio cadunt sine numero canes;  
et deficientibus arcubus, et lanceis, fit strages,  
fit caedes barbarorum ineuntium, et in ea  
multitudine ad terram excussi de equabus et equulis  
concidunt, quasi frondes autumnalibus solibus  
consiccatae circa ortum hyemis de arboribus  
suis, borea flante, cadunt. Inter muros tum  
castrifere tria milia se reducunt, ad quos nondum  
potuerat aliorum debellatio pervenire. Fugiunt  
etiam forte quinque millia per devia montium, et  
passus arctissimos, per quos ire vix pedites potuissent;  
sed timor mortis vias asperas nudis pedibus  
etiam facit planas; et difficiles faciles, et  
inaccessibiles incessibus reddit aptas, hominemque  
gravem, aut natura, vel senio, docet necessitas  
agilem et velocem, et calles calculosos et  
inspidos fugientibus facit molles. Continuatur ad  
haec caedes usque ad horam seram prope tertiam,  
campo Catalanis triumphaliter remanente; ex  
parte Aragonensium ducenti equi sunt perdit, sessoribus

[Page 349]

sine lesione sospitibus, nisi tribus, quos  
praessura multitudinis interermit; ex peditibus  
vero quingenti, tum oppressione, tum saggittis  
corruunt vulnerati. Ex Saracenis autem plusquam  
XXXM. concidunt, Catalanorum jaculis et  
cultellis; singuli enim Arabes inermes singulis  
ictibus corruerant.

Post tantam infidelium factam stragem redeunt  
Aragonenses ad castrum, ubi Arabum fere tria  
millia invenerunt, quadam sumpta securitate,  
quaetotidem dimissis equitaturis sine fraeno per  
burgum ..... aliquibus colligatis, aliquas vero  
manus Arabis quiescentis in terra per habenas  
et lora, ne fugerent, in loco tenebant. Hii  
cum nondum suae gentis crederent multitudinem  
pertransisse, opinati sunt quod redeuntes hostes  
a caede forent de numero barbarorum; sed cum  
intuerentur de prope postmodum balistrarios, et  
balistras, quibus barbari non utuntur, cumque  
etiam suorum signa, sed hostium, non discernerent,  
magno intra se stupore concepto, statim  
animos perdiderunt, factique sunt sine voce, velut

oves in caulis, quando sine balatu ruminant  
quiescentes. Intrant igitur Catalani victoriose,  
licet nimia caede fessi, muros terrore et timore  
silentiosos, capiunt Arabes sicut haedos, ac eorum  
equas et equulas aliquandiu sine mortis illatione  
conservant; tandem vero, cum esset eorum  
praeservatio magis ad pondus, quam ad commodum  
..., et ronzinas, et jugulant Saracenos.

EXPLICIT LIBER OCTAVUS.[Page 350]

INCIPIT LIBER NONUS

CAPUT I

REX KAROLUS ADUNAT NAVIGIA ET EXERCITUM

IN CASALI CATONAE.

Interea Karolus rex Siciliae colligit per Italiam  
pedites, et concessa tandem equitum peditumque  
subsidia; et in plagia maris apud casale  
Catonae, quod est juxta lictus recte et opposito  
civitati Messanae, Faro tamen medio, quod Calabriam  
a Sicilia dividit, in superiori parte cuius  
versus meridiem Caribdis dicitur latitare navibus  
inimica, in inferiori vero parte versus septentrionem  
canes Scillae collatrant, rex praedictus  
congregat vasselloos innumeros de Provincia, de Pisis  
et de toto regno collectos. Ipse vero rex tandem  
cum militum agminibus, et exercitu peditum  
numero, quem mille soldati saraceni de  
Luceria sequebantur, Calabriam sicco pede pertansiens,  
Catona, ira interius ignescente, pervenit,  
ubi per totum regnum hordea, frumenta  
et alia victualia congregantur.

CAP. II

Rex Karolus contra Messanam exercitum ducit, hortatique  
suorum caeduntur vineae, agrique adjacentes  
vastantur.

Toto ergo regis navigio jam parato, et exercitus  
multitudine inibi congregata, quae ad passagium  
contra Graecos, aut contra inimicos fidei  
suffecisset, rex primo victualia, deinde equos,  
et postmodum omnem exercitum facit in galeis  
et vassellis aliis constipari, et stipatis omnibus  
ipse ultimus per transtrum galeae conscendit puppem,  
graneo aut coccineo colore rubentem, quam  
velabat superba tela scarlatica rubicunda. Et licet  
crederet totus exercitus, velis usque ad mammalorum  
capita nautarum manibus jam suspensis,  
quod versus Cataniensem civitatem temones vavaxellorum  
rectores proras converterent navigando,  
rex tamen, contra omnium opinionem, et  
credulitatem exercitus, jubet in plagia Messanae  
prope monasterium Sanctae Mariae de Rocca  
Amatoris, distante forsitan a civitate Messanae  
per tria millaria, proris directis ad insulam,  
totum extolium ancorare, ibique homines  
deponuntur, et equi, et multorum mobilia, et arnesia  
infinita.  
Statimque homines de eo quod cito ad terram  
descenderant, praematuris refocillantur uvis,  
quas, sine oppressione alicujus eminentiae terrae,  
in primo sui ortu solaris calor usque ad occasum  
fere, ut intempestive maturescant, crinoso  
radio decoquit, et decoctas taliter colore croceo[Page 351]

verisimile natura depingit. Equi vero frondes  
pampineas palatui placitas depascuntur. Exercitu  
vero toto, nautis praecipue insolentibus,  
per vineas spatiose grassantibus, auribus regiis  
damnosa lingua susurrat, et ait: "Scitis, domine,  
quod Messanensium divitiae ac deliciae hic  
sunt; omnes homines non habent alias possessiones,  
quam vineas; tota eorum spes constituit  
in vineis; campos aut nemora novalibus apta  
non habent, hic sunt habitationes civium,  
hic palatia, hic aestivant. Jubete vastari vineas,  
et incidi: cives, quidem, videntes vineta perdere,

metuent; propter quod pro certo statim terra reddita, venient praecise mandatis regiis parituri, nec se beneplacitis nostris submittere formidabunt; non enim quantum Panormitani et alii Siculi maestatem regiam offenderunt, nec de gente gallica aliquem offenderunt, imo cum omnes Gallici ad eos de tota Sicilia confugissent, cunctos inoffensos abire libere permiserunt. Et ideo, domine, quia eos rebellionis initiae jam poenitent, auditio quod spes totius vitae ipsorum vineae putabantur, nisi mandatis nostris obtemperent, et supradicta in populo seditioso causa, qui civitate hodie dicuntur dominari majores, et alii, quorum est possessio vinearum, illico ad mandata vestra venient brachiis colligatis, misericordiam petituri".

Verbum statim diffunditur. Ille clamat ad vastum, alter ad vastum vociferat, et multitudo ad vastum, more illorum, qui aliquam terram exercitualiter obsident, et idem sonat "ad vastum", quod "eamus ad incidendas pomiferas arbores, et vineas amputandas". Manus igitur lubrice nautarum grassantium primum ferramenta pedibus arborum experiuntur et vitibus. Hi, cum bipennibus, asciis, securibus, et mannariis, vinea violant, et pedes fructiferarum arborum dehonestant: vegetes vinosas in palatiis compertas et domibus vinearum confringunt, et ad terram aurea vina defoecant et effundunt: pavones, quibus illa contrata consuevit affluere, ac gallinas, et animalia minuta domestica, vel fugant vel destruunt comedendo: domos et palatia diruunt, et usque ad Cammarias aquas arva et campos in vastitate discurrunt. Mutat post haec castra et stationes castrorum Gallicorum exercitus et ibi prope dictas Cammarias castrametando figit gravia lentaque vestigia omni parte, quae post terga relinquuntur devastata, et privata singulis habitationibus et vinetis.

### CAP. III

Messanam Galici obsident. Legatus apostolicus urbem ingreditur pacem ferens: sed incassum agit.

Verum

cum ad Messanam ruina suarum habitationum, quas habebant in vineis, et vinearum[Page 352]

ipsarum amputatio pervenisset, cogitaverunt quod usque ad muros civitatis exercitus, totam aequaret, pari desolatione, contratam. Unde, quia bonorum exteriorum damnificatio damnum quodlibet excellebat, et jactura vinearum potior erat eis, quam rex Carolus civitati et civibus ultra posset inferre, statim, ut eorum opera pravis inimicorum operibus responderent, omnes tritas et galeas numero plusquam LXX, quae contra Graecos pro futuro regis passagio creditae fuerant Tertianatui Messanae, ausi melius in afflictis confidere rebus, igne supposito succenderunt. Mutatis ad haec jam tertio castris, appropinquat, imo se contiguat totus exercitus civitati, ac burgum Sanctae Crucis, ubi erat fere pars habitationum hominum de Messana, silentiosum et vacuum personis ingreditur, omnesque ipsius burgi domos et casas compleat castra tanti exercitus, et rex tentorium suum tendit super ecclesia fratrum Praedicatorum, ubi quaedam eminentia est jugorum; multique provide credunt, quod si civitati, quae antiquis parvis debilibus et ruinosis muris erat, ab illo latere exercitus modo aliquo ... potuissent, et cum obsessis ..... intentare, praesimaliter mortem omnia viderentur. Rex tum mandavit, quod nec aggressus, nec insultus daretur aliquis civitati. Opinabatur enim quod Messanenses inductione legati Sedis apostolice, qui convenerat in exercitu cum eodem,

statim sine difficultatis et dilationis obstaculo  
sua mandata reciperet, et pareret regiae ditioni.  
Compatiebatur forsan rex desolationi civitatis  
insignis, nec volebat quod tot immanes  
manus exercitus civium onustarentur exuvii, si  
casu accidente caperetur, sicut poterat, et dicebatur,  
ipsa civitas per insultum.  
Inrat ergo civitatem legatus pacifer, statimque  
cives metu letitiaque percussi, eidem legato,  
tamquam apostolicae Sedis nuntio, claves terrae  
tradunt, ac ipsius terrae nomine romanae Ecclesiae  
dominatum supplicantes et petentes quod pro  
parte romanae Ecclesiae proponatur aliquis, qui  
praesit civitati et populo, et regales recipiat  
cum integritate proventus. Verum, quia legatus  
fuerat per regem instructus, ut cum Messana  
nulla pacta pollicitationis alicujus foedere roboraret,  
sed praecise sine stipulatione pactorum  
eos ad sua mandata reciperet, ac eis misericordiam  
et condignam indulgentiam promitteret in  
delictis, populo civitatis apud ipsum legatum instantे  
suppliciter, ut exercitum ab obsidione faceret  
removeri, et eos ad mandata Ecclesiae receptos  
per aliquem praepositum ipsius Ecclesiae  
nomine regi faceret et tutari; legatus contra instabat,  
et populo suadebat, quod dum rex esset  
misericors erga eos, qui titionem suae iracundiae  
contra civitatem Messanam non erexerat, sed ad  
illos tantum, qui Gallicos immaniter trucidarunt,  
ipsius Messani regis obedire mandatis ultro[Page 353]

decebant: praetendebat adhuc dictus legatus,  
quod rex non consueverat pacisci cum subditis,  
nec rebelles suos ad gratiam regiam sub pactis et  
condictionibus revocare.  
Discordantibus Messanensis cum legato, supplicant  
iterum. Messanensis igitur et legato  
pro effectu votorum alternative discordibus, sapientes  
cives adeunt iterato legatum, et ajunt:  
"Pater et domine, ex quo placere videtur vobis  
et romanae Ecclesiae matri nostrae, quod rex  
Carolus praesit nobis, et terrae nostrae dominium  
et usum habeat, supplicamus ..... nostrarum  
cavere relictis periculis personarum, ordinando  
atque mandando quod rex procul a  
nobis, et a terra nostra sit absens, et quaelibet  
armatorum agmina Gallicorum. Statuat autem  
rex aliquem virum latinum, qui vice regia  
nos regat ac foveat, et jura regalia exigat et  
exquirat; non enim expedit quod militiae gallicae  
inter nos remaneant agmina, quia humiliter  
parere ac de juribus regiis integris respondere  
volumus cuicunque ad nostrum regimen  
ex parte regia deputando; hoc autem omnino  
non toleraret populus messanensis, quod  
in terra nostra seu praeses gallicus, seu milites  
aut servientes aliqui remanerent". Legatus sane  
vanis et iteratis inductionibus frustra remollit  
animos populares, frusta iras assumptas aqua  
nititur temperare; nam interdum de iis, quae  
voluit, nihil potuit a civibus extorquere. Verum  
cum omnino civium obedientiam et mandatum  
pro Sede apostolica respuisset, pro eo quod eum  
oportebat voluntate ad directionem regis duci,  
quidam antropi cives archipopulares dicunt iracunda  
voce legato: "Magna est profecto, pater,  
vestra duritia: credidimus enim quod nudaretis  
nobis benignitatis apostolicae gremium  
ad recipiendum Ecclesiae subditos ad devotionem  
parere volentes, et brachia vestra teneretis  
extracta, quibus complecteremini poenitentes.  
Forsitan genus contemnitis Siculorum,  
aut parvipenditis arva nostra? Sed, dato quod  
haec sint vera, et nos vilissimi reputemur, timete  
in hac parte Deum, qui, memor licti et

illiciti, nec justa oblivioni dat opera, nec iniqua;  
et nos ad praesens ob Illius reverentiam, cuius  
dominus noster summus pontifex et vos vicarii  
in terra esse dicimini, ad illa, pater, suspicite,  
quae populus vester petit. Non enim  
revolvetur annus, quod rex Carolus nobis dominabitur,  
sicut unquam, si feceritis, quod petimus,  
et Gallici familiaritatem rehabere nobiscum  
incipient paulatim, etiam nos cum eisdem.  
Nonne ad haec, pater, attenditis, quod  
si Messanensis ad praedicta pacta recipitis,  
omnes rebelles illa non fugient, imo ultiro ad  
vos ea venient pactiari? quis praeterea in Sicilia  
resistet Ecclesiae, si Messanenses ipsius  
Ecclesiae devotioni se praestiterint? Per Eum  
juramus, qui motu continuo coelum fatigat et  
terram, quod si Messanenses in hac rebellione [Page 354]

remanserint, sicque faciatis eos vestram et Sedis  
apostolicae gratiam desperare, adhuc intrinsecus

dolebit Ecclesia, quam numquam tempore

..... Messana, recuperabit dominium

Siculorum, vosque animo propterea ....

.... poenitentia fatiscetis".

Exiit ergo foras, mortis pavore perterritus,  
celeri pede legatus, quam optavit pluries non  
intrasse. Unde statim exercitus perpendens quod  
legatus redierat sine pactis, rupto pacis foedere,  
et edicto regis faciliter violato, dat urgentissimos  
ad muros civitatis insultus, densantur obsidentium  
agmina juxta muros, et dum in ipso aggressu  
cogitant terram capere et concupitis civium  
spoliis onustari, se muris bellando confibulant  
quantum possunt.

#### CAP. IV

Messanenses viriliter resistunt.

Messanenses vero paulatim incipiunt animis  
restaurari, et praesentia hostium, quae nonnumquam  
famam minuit, lenire timorem, quem  
tremulenti reperant, audito quod contra eos  
tantus debeat exercitus convenire. Unde animo  
instaurati sollicite ac viriliter se tuentur, muros  
quidem fortificant, et debiles reparant ruinosos,  
parvos magnificant, renovant et vetustos. Convenientibus  
ergo ad murorum operam sine sexu,  
aut defectu aetatis singulis civibus arctatis, omnium  
studia circa postmuralium fabricam dividuntur,  
quae longitudine ac latitudine a muris  
distantia faciant fabricare, aliis effodientibus  
fundamentorum defossa, aliis ipsa vacuantibus  
fundamenta; et hii bipennibus crebris instant  
trabibus ordinandis, hii excisos de montibus lapides  
referunt, alii venientium accipiunt onera  
et deponunt, et cum nec quies operis ulla daretur,  
omnes universaliter operi accinguntur, ita  
ut miraretis manus artificum inter se varia officia  
persumentes.

Veniunt et mulieres succinctae tunica, quae  
defluentes sine modo collectae pedibus nudatis  
et genu, habentes ad onera umeros de more habiles,  
et hae saxa, hae scuta et balistas ac omnia  
arma bellica ministrare non cessant, aliae laboranti  
populo pulmenta in cophinis, aliae panem  
devehunt in canistris, illae lagenas et hidryas  
aqua plenas, istae bariles, cados, et flascones  
viniferos operantibus manu sollicita deferunt et  
porrectant, ut cibo et potu viribus instaurentur  
et animis, operibus fabricae ac belli resistentia  
fatigatis. Quid ultra? haec civium multitudo  
laborantibus et operi velut apis argumentosa  
deservit, quam talem videas ad operam,  
qualia sunt apium examina, quas aestate nova,  
ut adulitos sui generis satus educant, sub estu solis  
exercet per rura florea discurrentes, aut cum  
eaedem liquentia mella stipant, et gentis suaे

cellulas distendere dulci nectare moliuntur, cum  
melle redeuntium onera suscipiunt et componunt,  
et velut cum jam examinis agmine congregato,  
de dignitate apis ignavia pecora stimulis  
pungentibus arcent a praesepio et expellunt.  
Mulieres ad haec obsequiosae, quoties redeunt  
cum oneribus, dicunt viris: "Durate, viri, operibus,  
et tutamini civitatis insistite, et vosmetipsos  
rebus ipsis conservate, dabit enim Dominus  
iis finem". Ex civibus ergo nullus circum muros  
vacat, nullus stat segnis, sed singuli singulorum  
officiorum suscipiunt ministeria, et laborant:  
una unius manus ad lapidem, ad telum alia se  
convertit, altera tela jactat hostibus, haec murorum  
addit aliquid instructioni, sinistra lapides  
et cementa componit, defensioni vero dextera  
pervigilans gladio muros insurgentes tutatur  
et lancea. Verum quia Messanenses vehementissime  
dubitabant, ne montes qui sunt super civitatem,  
vallibus mediis ad exercitum, per quos  
patet proclivius sine tuitione descensus, et regiae  
congregatio multitudinis occuparet, et sic statim  
terra sine civium resistentia perderetur,  
montem, qui dicitur Capperina, studio summo  
fortificant, trabibusque circumdant, et muniunt  
in girum latera fossa, montem ac ipsum per sufficientem  
arceriorum et balistrariorum numerum,  
adhibita circa haec omni diligentia, faciunt  
custodiri.

## CAP. V

Rex Carolus castro Milatio potitur.  
Cumque rex videret, quod ad expugnationem  
obsessae terrae non sufficeret suorum quotidianus  
insultus, et quod multi ex suis insultando  
peribant intrinsecorum jactibus ex missilibus  
balistrarum, mandavit fieri machinam, seu trabuccum  
immane, ipsumque collocari facit in colle  
fratrum Praedicatorum, per quem quidquid  
fiebat intrinsecus per cives tamquam per altum  
spectaculum cernebatur. Et contra Messanenses  
statim carpentant aliam machinam in oppositum  
regii trabucchi, cum qua in obsidentes  
rejectant jactatos lapides contra eos. Sed ut rex,  
qui frequenter post haec iracundo calore fervescens  
dicebat: "venit jam Messanae summa dies,  
venit eorum tempus inevitabile, quo peribunt",  
posset eos confundere latius et damno afficere graviori,  
mittit apud castrum Milatii quandam  
quantitatem tritarum, quingentos equites, et  
mille pedites bellicosos quorum duces erant comes  
Guido de Monforte, Guillelmus Standardus,  
et Petrus Rubeus de Calabria comes Cathonae.  
Messanenses sane, qui per omnem modum nitebantur,  
quantum poterant, se tutari, mittunt  
illuc comitivam trecentorum equitum, qui regiae  
gentis predictae impendant descensum ad  
terrā, et post hos quosdam balistrarios ituros [Page 356]

illuc deliberate disponunt. Sed, ante quam balistrarii  
messanenses possint ad planum Milatii  
peruenire, gens regia, balistrariis praemissis  
ad terrā, ac equitibus messanis metu balistrariorum  
conversis ad fugam, tritis exit armata  
coruscante galea. Capiunt statim terrā et  
castrum Milatii, nec potuerunt sic omnes eorum  
manus effugere Messanenses, quia aliquos de  
melioribus civitatis dimiserunt inimicis, capiuntur  
enim per Gallicos apud Milatum Robertus  
de Miletō miles, et Henricus Rubeus mercator,  
magni cives inter singulos de Messana;  
Robertus autem interdum sub potestate gallica  
in carcere obiit, Henricus vero mille auri uncii  
se redemit.

CAP. VI

GALLICI VENIUNT DE MILATIO MESSANAM, ET DESTRUUNT  
BURGUM SANCTI JOANNIS.

Nihilominus tum dicta gens regia, quae in  
Milatii plano descenderat, Messanam, omni mora  
postergata, procedit, et transiens per arctum  
passum monasterii Sanctae Mariae de Scala,  
Burgum Sancti Joannis ex illa parte, ubi est  
Ecclesia Sancti Sepulcri, hostiliter occupant  
et devastant, ac urget exinde quantum potest  
Messanenses obsessos, ut a duobus debilioribus  
partibus angustati, durare diu in rebellione non  
valeant, nec per viam illam eis venire possit aliquod  
subsidiū Siculorum.

Messanam civitatem igitur rege Carolo quotidiana  
durae obsessionis instantia provocante,  
tam Messani quam Panormitani principaliter,  
quibus jure metropolico terrarum, et dignitate  
ac etiam meritis personarum fere Sicilia tota  
subest, ad regem Aragonum agentem apud Alcolium  
sollemnes nuntios cum celeritate transmittunt,  
litteras tantum de credentia dantes eis. Eunt  
igitur de Sicaniae partibus nuntii Siculorum,  
regis Aragonum praesentiam adeunt, cuius labori  
fortuna jam ceperat aspirare, ac literis assignatis  
multarum universitatum Siciliae de credentia  
sollicitudinem regis gravat horum multiloquentia  
relatorum.

CAP. VII

SERMO NUNCIORUM SICILIAE AD REGEM  
ARAGONUM.

"O rex inclite, rex excelse, tu solus infandos  
Siculorum labores et onera et tollere poteris  
et juvare: ad te tuamque potentiam Siculi consulte  
confugint, et per nos supplices auxilia  
vestra depositum. Omnis enim eorum et nostra  
spes, ac ceptae rebellionis fiducia est in  
vobis: nam nostrarum mentium quodam erga  
vos et haeredes vestros naturaliter flagrat igne [Page 357]

devotio, et inextinguibili crepitat ignitae dilectionis  
affectu. Propter quod jam depresso multipliciter  
Siculi, ad vos oculi lumine propagato,  
post multa suorum funera per Gallicos occisorum,  
post varios hominum regni terrarumque  
labores, fide oculata prospiciunt, morantur suspensis  
cordibus, et animis sitibundis, quos denuo  
imaginarie tanquam nascituros eorum dominos  
contemplantur. Fuit sane quondam rex  
nobis Manfredus sacer vester, caesarea virga  
conceptus, quo nec justior alter fuit, nec major  
opere pietatis, aut armorum experientia, vel  
bellorum; et eum sicut Carolus comes Provinciae,  
quem quondam in regem nostrum romana  
Ecclesia coronavit, sotis adjutus inquis,  
et vi defensus adversantium superorum, campestri  
bello pressit, et omnes ejus devotos et  
amatores aut a regno dejecit, aut truci gladio,  
vel horrendo suspendio postmodum jugulavit,  
hic coepit nos dira tyramnide premere, ac intollerabilibus  
oppressionibus perurgere, suique  
officiales non solum superbo et immanni imperio  
dominari, sed ceperunt arctis vinculis et tenebrosis  
carceribus nos fraenare. Ac, ut possent  
a singulis pro redēptione malorum aliquid  
extorquere, perterrere universos novis et tantum  
somniatis criminibus incepérunt adinveniendo  
contra Siculos quotidie novitates. Sed  
quis tam durus narrando aut audiendo talia  
valeat animum a lacrymis temperare? Forsitan,  
nec vobis, nec nobis suo ordine referre vacat  
ad praeſens oppressionem, et laborum nostrorum  
annales. Ecce ergo ulterius haec pati  
aequo spiritu non valendo, Trinacria tota contra  
Gallicos rebellavit, omnes Siculi unanimiter

asserunt vos haeredes, se vestros in homines  
et personas, et insula Magnificentiae vestrae  
titulis jam donarunt. Tuta quidem ecce  
omnia videtis; sedes regales vobis jam inibi  
sunt paratae; unum scitote, quod terra nostra  
antiquissima est, et est potens armis, et cerealibus  
urbibus faecundata, operarum exterarum  
non egens. Ibi volumus, quod domus vestra  
cunctis temporibus dominetur, ibi nati et natorum  
vestrorum nati, et qui nascentur ab illis,  
jurisdictionem inconcussi dominii vindicabunt.  
Vestrum igitur est imperare, quid optetis; nostrum  
est tantum jussa vestra capessere, ac fideliter  
adimplere; sed attendatis, domine rex,  
quod id, quod sibi quaelibet terra Siciliae timescebat,  
scilicet exercitum Gallicorum potenter  
contra eam venturum, in unius exterminium  
civitatis nostrae Messanae conversum est et dolorem.  
Parate igitur properare nobis, et proprius  
labores et dolores aspicite Siculorum.

CAP. VIII

Regi Aragonum consilia data.

Regi ergo Aragonum per nuntiorum relatus  
Siculorum cordibus reseratis, statim regnolae,[Page 358]

qui erant apud eum exules, quibus hoc nefas  
consuevit esse domesticum, ut in majori pacis  
tempore constituti regni sui scandala cogitent,  
ac tales ordiantur insidias, ac eas dissentionis  
filo contextant, novam statim decipiendi artem,  
seu potius novos modos palliandi, quod temerarie  
faciunt, adinvenire non cessant, novaque  
versant pectore insidiante consilia; et ut rex  
Aragonum dolis et insidiis perjurii sermonis, et  
arte perverterent, in agendis suis tentet Ecclesiam  
apud eum insistunt, falsi suassione consilii  
suggerentes, ut ad postulandum quaedam ab Ecclesia  
romana suppliciter ... quae transfretantibus  
in Terrae sanctae subsidium consuevit  
sedes apostolica indulgere, mittat statim nuntios  
speciales. Et quia magna sunt et ardua,  
quae a domino Papa petenda deliberant, cogitant  
intra se, ac dicunt, quod ea Sede apostolica  
regi Aragonum tamquam principi catolico denegante,  
si postmodum rex ipse vocatus accedat in  
subsidium Siculorum, est apud homines excusatus:  
dicent enim, quod illud acceptavit tanquam  
desperans de apostolicae Sedis gratia, denegantis  
sibi contra Saracenos auxilia et indulta, quae  
consuevit aliis regibus indulgere. Dicunt ergo:  
"Si Ecclesia romana, domine rex, haec vobis  
gratiouse concedat, quod esse tam cito non poterit,  
magnum foret, ac praeferremini viribus  
et auctoritate regibus orbis terrae; si autem  
non audierit Ecclesia, quod petitur, si tunc Siciliam  
invadatis potenter ac violenter, vobis  
singulorum labia benedicent, et alter ad alterum  
confabulando de factis vestris laudabit opera  
vestra, domine. Dicit vulgus, quod, ex  
quo Sedes apostolica ad concedendum vobis,  
quae contra Saracenos fidelibus regibus concedere  
consueverit, se reddit difficilem atque  
duram, dignum quid attentatis, vestram contra  
infideles potentiam hic congestam ad Siciliae  
regnum convertere, proposito immutato".  
Igitur rex Aragonus praelibatus, novae adinventione  
fraudis sic instructus, sollemniter viros  
cum duabus galeis armatis sub specie impetrandi  
quasdam indulgentias ad tentandum Ecclesiam  
pro parte sua ordinat profecturos, et moerentia  
pectoris nuntiorum Siciliae talibus dictis mulcat:  
CAP. IX  
RESPONSIO REGIS ARAGONUM NUNTIIS SICULORUM.  
"Ecce noster animus insulae gravatae compatiens,  
ut Siculos quondam longi temporis interstitio

oppressionis praesentiae gallicae vinculis  
captivatos per nostrum adventum e jugo  
liberet servitutis, promptos nos exhibet et in  
utrumque paratos, ut videlicet aut hodie per  
vos gloria nostra ingenti clarescat honore, aut[Page 359]

morti finaliter succumbamus. Sane labor iste  
nullatenus nos gravabit: proponimus enim  
quod nostra et Siculorum sit de caetero salus  
una, ac totius discrimen periculi sit commune;  
sed nec nos, nec vos amodo, si contingat, moriemur  
inulti, neque enim malorum vestrorum  
sumus ignari, quia vos credimus majora perpessos,  
quam referat lingua vestra. Forsitan  
haec vobis meminisse juvabit in posterum; revocate  
igitur animos, et timorem dimitte maestuosum,  
et dicite Siculis, quod relegent metum  
a cordibus, et ab animis secludere curas  
curent. Nam ipsos cito tutos nostro auxilio faciemus,  
qui eos viribus totis intendimus, expositis  
nostris opibus, adjuvare. Ille autem, qui  
coelum serenat nubilum, et placat concitas  
tempestates, nobiscum Siculos confovebit, et  
nostra eorumque consilia in melius reformabit".

CAP. X

Nuntii regis Aragonum summum pontificem  
adeunt.

Veniunt post haec ab oris Africæ nuntii regis  
Aragonum ad mare Tyrrenum duabus galeis  
velocibus, et in littoribus carnitanae plagiae  
applicantes, galeas inibi arctis ancorarum morsibus  
alligarunt, et quos illuc confisos tabularum  
juncturae mare divixerat, deinde apud Montem  
Flasconem, ubi summus pontifex aextivabat,  
equorum conductit suavius ambulatus. Ibi ergo  
occurrit domini Papæ præsentia, et in omni  
consistorio explicant, quod pectore simulato congestant,  
ac verba referunt verisimilibus colorata  
figmentis, quorum relatio et supplex petitio esse  
tales forsitan potuerant:

"Sanctissime pater et domine, fides regum Aragoniae  
vobis et fratribus vestrī est nota, manifesta  
est etiam probitas personarum, et quantumcumque  
sancta romana Ecclesia omnes reges  
occidentales fideles invenit, illos tum fidelissimos  
ad servitia fidei habuit et constantes;  
eorum namque labores et studia contra infideles  
christiani nominis indefesse versata sunt;  
omnes orbis angulos vere de iis jam fama replevit,  
quod scilicet rege Hispaniae dumtaxat  
excepto, qui cum Saracenis quotidianis insultibus  
fatigatur, non sit memoria alicujus principis  
christiani, cuius opera contra inimicos  
Crucis claruerint pæconio tantæ laudis quantæ  
esse gloriae regis Aragonum meruerunt.

Ecce, pater sanctissime, dompnus Petrus rex  
noster, merita cupiens adaequare parentum, et  
eorum per omnia vestigia laudabilia prosequi,  
collectis undique suis viribus et congestis, ac  
suis subditis praeter solitum contributionibus  
propter haec indigne gravatis, contra barbaros  
copiosum comparavit exercitum, et classem  
paravit sub spe tantum Illius, cuius nominis  
ipsi barbari sunt blasphemæ, nec non et sub fiducia  
recipiendi ab apostolica Sede, quam matrem[Page 360]

recognoscit et dominam, opportuna subsidia,  
et auxiliaria juvamenta, ut de terra  
sua et aliis terris fidelium sibi genti suea possit  
opportune et celeriter in necessitatibus subveniri;  
et si expeditat surri etiam auxilio  
personarum, convertet se ad viciniores hostes,  
et contra eos potissime, quorum status integre  
magis propter vicinitatem Christicolarum exprobat  
aspectum, et fidei orthodoxæ ...

..... Cepimus ergo hac consideratione  
terram in partibus Barbariae in districtu  
regis Tunisii, ubi est major totius fere paganismi  
potentia, ibique statim in ipso descensus  
nostrum primordio quoddam castrum populosum,  
quod Alcolium dicitur, nobiscum semper Divinitatis  
assistente potentia, per violentiam occupavimus.  
Ibi rex noster stat tutus inconcussibilis,  
et ab Arabia tota securus, nec metuit  
ipsum ullo unquam tempore perdere, quod  
jam ad honorem fidei et Ecclesiae perpetuo  
habitari Christianis asseruit. Demum, pater,  
audite miranda opera Dei clementiae; attendite  
qualiter omnipotentia nostris principiis prospere  
aspiravit. Pridie, pater, omnes vires Arabiae  
contra nos fuerant deliberate congregatae,  
ac equitum multitudo, velut arena maris, quae  
dinumerari non potest, versus castrum Alcolii  
hostiliter venire jam ceperat, credens totum  
sine resistantia nostrum statim exercitum absorbere.  
Sed nos relatione hominis hebrei,  
nobis forsan coelitus occurrentis, accessimus  
armis accinti ad quemdam passum arctum,  
per quem non congregatim, sed singulatim venire  
ad nos poterant Saraceni, et quot volumus  
de ipsis Arabibus transire permisimus. Tandem  
ora passus invasimus, nec ultra passi sumus  
citra venire; omnes ergo quos citra passum  
invenimus, gladiis nostra dextra compressit,  
ita quod canum facta est strages, quod  
plusquam decem millia Dei jussu nostris manibus  
corruerunt. Sed ecquis tam eloquens  
tantam illius diei cladem, Africæ caedes caninas,  
et funera barbarorum valeat explicare?  
Certe omnis tum campus madebat sanguine occisorum,  
nigrum colorem ex superjacentibus  
corporibus superficialiter induens, abdicato viridi  
naturali. Haec sane propter tam grandia,  
tamque plena prodigiis, tamque pro fide famosa  
vix evenire possunt sine numine Deitatis,  
aut absque motu et voluntate celestium  
non contingunt. Recurrit ergo rex .....

ad subsidia matris suae romanae Ecclesiae,  
cujus negotium proculdubio geritur, quoties  
per reges catholicos contra infideles nominis  
christiani aliquis sit processus, ejusque matris  
suae auxiliatricem dexteram suppliciter advocat  
et implorat, et petens, ut ea, quae Sedes  
apostolica per tempora didicit indulgere principibus,  
pro redemptione Sepulcri dominici transfretantibus,  
et in subsidium Terrae sanctae,  
regi nostro et de jure debita pro eo, quod in  
servitum Dei et Ecclesiae tantum sine alterius

[Page 361]

auxilio negotium est aggressus, et de liberalitatis  
largitione, quam erga regum petitiones  
Sedes eadem exercere misericorditer assuevit,  
dignetur Sanctitas vestra sibi cum celeritate  
concedere. Petitiones eae sunt, ut Sanctitas  
vestra illuc aliquam personam idoneam destinet  
pro legato, qui vice romanae Ecclesiae  
totum nostrum cruce signet exercitum, et veniam  
indulgeat peccatorum, quodque alicui  
Praelato verbum crucis in Aragonia et Hispania  
contra barbaros in adjutorium regis nostri  
detur auctoritas praedicandi. Decimam quoque,  
pater sanctissime, petimus regni nostri collectam  
et depositam pro generali passagio in  
ejusdem Terrae sanctae subsidium, quae, velut  
dicitur, regi transfretanti versus orientales  
partes in dictae Terrae succursum, secundum  
deliberata Sedis apostolicae deberetur;  
nam, si decimam hujusmodi auctoritas vestra  
nobis indulgeat, diu contra infideles in partibus  
illis durare poterimus, et terras fidei nostrae

conquirere, ac gentes illas inimicas Ecclesiae  
continuis jacturis et gravibus offensare ....  
remanere ..."

Praedictis sane ambasciatoribus regis Aragoniae  
fuerunt interdum bona et curialia data  
responsa, eisque dominus Papa satis applausit,  
ac domini cardinales congaudentes sibi et regi  
suo de tantorum felicitate successuum pleno interius  
laetitiae jubilo replebantur; de eo maxime  
quod, cum olim opiniones eorum contra eumdem  
regem de facto Siciliae fuissent suspitione multa  
gravatae, nunc autem de ipsius regis accessu  
contra Saracenos assumpto tanta et tam clara  
certitudine declarantur.

#### CAP. XI

#### RECEDUNT NUNTII REGIS ARAGONUM

#### DE ROMANA CURIA.

Verum qui in Sede apostolica praeses est ad  
negotia, et domini cardinales, lenti quorum  
sunt pedes in rerum expeditionibus gravitate defecti,  
et velociter ad ignota non errant, tam cito  
suarum arcana non reserant gratiarum, nec  
alicui subito manum liberalitatis imponunt, sed  
omnia sub praegnanti responsione procrastinant,  
et hoc ideo, ut promovendorum apud eos negotiorum  
plene veritate propalata, sine suggestione  
doli et fraudis, quae ad expeditionem et gratiam  
fuerint admittenda, per eos valeant expedire,  
ac de inceptis cum lentitudinis gravitate  
deliberant adimplere. Dicti nuntii regis Aragonum,  
quibus non ita celeriter respondebatur  
ad votum, cum licentia insipide postulata, seu  
animo petita jam parato ad exprimenda concepta,  
retrocedunt ad littora marina festine, sicut  
forsitan fuerant subornati.[Page 362]

#### CAP. XII

#### REX ARAGONUM PETIT SICILIAM.

Nuntiis ergo praedictis nondum post impetratum  
a curia redditum factis velis, rex Aragonum  
a celato pectoris fomite flammarum fervescentem  
excutiens, cum nondum caussae irarum,  
quas dicebatur contra Gallicos concepisse, a suo  
animo excidissent, nec saevos dolores de avita  
et socii morte susceptos temporis vetustate substulisset  
oblivio, spoliis honustus Arabum, petit  
Trinacriae littora. Ecce jam vides sicanum  
mare velivolum, jam nautae aragoni remis fatiscentes  
et funibus properant ad promissa, jam  
catalana falanx de Libia in Siciliam navibus  
pergit instructis, et galeis ordinatis ad bellum,  
solus tum rei appetitus optatae hominum  
prospere roborat animos, et eorum vires faecundas  
efficit at videntes. Rex ergo Aragonum ad  
concepti termini tempus veniens, civitatem panormitanam  
triunfabiliter intrat, ubi in ingressu  
portus nauticus exoritur tantus clamor, tantusque  
virorum tumultus, et tubarum tantus resonat  
clangor, quod confusis vocibus singulorum,  
quae discerni non poterant, sonos aera sine discretione  
reverberans, apud civitatem Montis  
Regalis fuisse fertur auditus.

Nec est mora: convenientibus regem Aragonum  
omnibus regni exulibus, et iis praecipue, quos  
odium regis Caroli, aut propter patrata dudum  
scelera metus arcebat, aut qui jam in se cooperant  
invidiae stimulos retorquere, rex ipse Aragonum  
versus obsessam civitatem Messanam, ubi  
erat exercitus Gallicorum, civitatem ipsam dure  
perurgens, vestigio accelerato procedens, castra  
movet, per mare ac per terram bellatorum suorum  
aciem ordinat, et bellum Gallicis propalato  
furore publice jam indicit. Juvat Siculos pusillanimes,  
refovet debiles, et extolidum populum  
in suis excessibus petulantem, ac antiquae instabilitatis

vitiis tortuosum, inceptae rebellionis errore  
defendit.

Constitutus igitur in itinere veniendi Messanam,  
de Nicosia nuntium ad regem Carolum in  
campo morantem misit, et litteras sine verborum  
multiplicatione conscriptas, in quibus regis Siciliae  
titulum usurpavit, sicque priusquam ad locum  
perveniat, scriptis et relationibus nuntiorum  
aperia movet odiorum verba, quae fuerunt majoris  
odii seminaria deputata, sub hac continentia

litterarum:

"MAGNIFICO VIRO CAROLO REGI HIEROSOLIMAE,  
ET COMITI PROVINCIAE, PETRUS ARAGONUM  
ET SICILIAE REX. Dum in partibus Barbariae  
contra hostes fidei apud quoddam castrum,  
quod Alcolium dicitur, prospere ageremus,  
quidam venerunt ad nos de tota Sicilia nuntii,  
de vobis graviter querelantes, ac dicentes quod  
vos Siculos dira tirannide premitis, et multis[Page 363]

oppressionibus adgravatis. Nos, quia ipsum regnum  
Siciliae ad uxorem ac filios spectat, haec  
pati ulterius non voluimus, cum nec etiam deberemus,  
propter quod in eorum auxilium venimus,  
quibus occasione uxoris et filiorum nostrorum  
deesse non possumus. Postmodum vero  
apud Panormum postquam applicuimus cum  
nostro navigio, majoris quaerelae delatio est  
perlata, videlicet, quod vos in Siciliam exercitualiter  
venientes, civitatem nostram Messanam  
quotidiana molesta obsidionis tenuistis  
arctatam, unde statim in auxilium Messanae,  
nulla nobis et genti nostrae data requie, nos  
accinximus adventuros. Quare rogamus Magnificentiam  
vestram, ut maturantes vestrum,  
soluta obsidione, recessum, Messanenses praedictos  
et omnes Siculos sine turbatione et molestia  
dimittatis. Non enim nobis jure imperium  
competit Siculorum, sed filiis nostris ex  
avita noscitur successione spectare. Et ecce  
latores praesentium apocrissarios nostros ad vos  
praemittimus super iis, quae vobis sunt dicturi,  
informatos, quorum dictis fidem poteritis  
adhibere. Nos autem e vestigio sequimur, ut  
in succursum Messanensium praedictorum, si  
eorum dimissa obsidione non recesseritis, Vobis,  
quantum poterimus, obviemus".  
Venientes ergo regis Aragonum nuntii ad obsidionem  
regis Caroli, assignatis primo litteris  
regis ejusdem, hoc brevi sermone onerant intellectum:  
CAP.

XIII  
ALLOQUUNTUR NUNTII REGIS ARAGONUM REGI CAROLO.

"Miratur rex Aragonum dompnus Petrus, quod  
eum ... et fidelibus domo progressi,  
cujus prosapia juri alterius nullam facere consuevit  
ijuriam, modo regnum Siciliae, quod  
ad uxorem ex paterna, et ad filios suos ex avita  
successione cognoscitis firmiter pertinere,  
hostili gladio premitis, et manu inimica turbatis;  
unde rogit vos de proditione vocari, diffidat  
vos, et gentem vestram, et ex nunc denunciat  
vobis guerram, intendens de caetero totis viribus  
offensare".

CAP. XIV

REX ALLOQUITUR NUNTIIS REGIS ARAGONUM.

Rex autem Carolus, cuius nimium membra,  
frigore quodam soluta, illico riguerant litterarum  
praedictarum tenore, et verborum pondera  
nuntiorum flammatu corpore revolvens, statim  
curis ingentibus aeger efficitur; speciem tamen  
vultus sapientis more dissimulat, et altum in  
anxietate dolorem saucio corde premens, vix  
haec nuntiis explicat respondendo: "De rege Aragano  
valde miramur, quod nulla contra eum a

formidat. Regnum Siciliae, quod ab Ecclesia  
romana tenemus, ad uxorem suam et filios  
pertinere mendacio manifesto et notoria praesumptione  
confingit. Terram, quam tot laboribus  
et tot infandis gallicae gentis ...  
titulo vendicare contendit, miramur, et magis  
quod ipse, cuius frequenter laudavimus probitatem,  
regis adulterini nomine usurpato, audet  
se mendaciter regem Siciliae titulare. Dolemus,  
praeter haec, quod, quem credebamus  
amicum, cui nullo tempore offensam aliquam  
fecisse meminimus, modo tam perverse comperimus  
inimicum, nostris rebellibus non sine  
nota proditione faventem, ac nos proinde offendentem,  
qui a nobis est inoffensus. Tanta ne  
tenet eum generis et gentis suae fiducia, ut  
nos tam fidens et tam securus invadat? Si pietas  
est, quam credimus esse, in Deo, quae tantos  
et tam nefundos curet excessus, persolvat  
dignos pro tot ausibus sibi grates, et pro attenta  
proditione praemia debita recompenset.  
Nos enim forte ex parte nostra, quod secundum  
debitum adversus tantam injuriam insurgemus,  
et ostendemus regi vestro, quod bellum contra  
nos fatue attentavit".

CAP. XV

#### REX CAROLUS CONSULIT CONSILIARIOS SUOS.

Post haec rex Carolus ad consiliarios suos  
ait: "Ecce quod verebamur accidit; ecce nostra  
suspicio de regis Aragonum proditione concepta  
rei suspectae certitudine declaratur; jam  
patescunt insidiae, jam fraus excogitata venit  
ad actum; videte, quid nobis et vobis consultius  
et salubrius sit agendum, quia non est admodum  
tutum suspendere cum dilatione consilium;  
audivimus enim quod classis ipsius proditoris  
regis Aragonum portum Messanae est  
ad diem tertium intratura; et quod ipse versus  
nos mature festinat per terram".

CAP. XVI

#### CONSULUNT CONSILIARII REGIS.

Est qui dicat regi: "Domine, esto quod rex  
Aragonum cum toto suo exortio sit Messanae:  
numquid ipse nobis concertare tentabit, qui  
sumus hic numero plusquam ... electorum,  
plusquam LX.M. strenuorum peditum?  
Et esset jam intra terram cum toto exortio  
suo: nam nos eum et Messanam continuis in  
concuribus angustiabimus, adeo quod inibi aut  
fame gravante deficient, aut nobiscum necessario  
dimicabunt".

Alius ait: "Domine, diu in hac obsidione duravimus,  
totus exercitus fatigatus est nimis,  
omnes gratuito animo pervenerunt, aut qui ratione  
adunamenti et feudorum sine stipendio  
huc usque steterunt, servitio completo, recedunt,[Page 365]

et sic quotidie numerus nostrae gentis  
detrahitur. Illorum autem numerus peditum  
semper crescit: hic non est campus, ubi milites  
valeant concertare, sed montes et colles,  
inter quos, ut videtis, plusquam manus militis,  
peditis probitas operatur".

Respondet alias: "Domine, numquam possunt  
nobis tam pauci pedites remanere, quin sufficient;  
castra tum nostra retro aliquantulum  
retrahamus extra burgum ad locum Musellorum,  
ubi campus apertus est satis, ibique stenus  
castrametati. Nos enim habemus et tria  
millia balistrariorum, qui nos continue suis  
stipendiis comitantur: hos nulla caussa reddet  
absentes; satis ergo sufficere possunt, ubi talis

et tanta est militiae multitudo".

Respondet alius: "Domine, satis posset esse, quod si omnes Siculi convenient Messanam cum exercitu regis Aragonum, nos aggredi nullatenus attentarent, et non praesumerent se bello nobiscum pariter commiscere. Forsitan omnes succumbent uno casu. Sed attendendum est, quod, si victualia nobis deficiant, quae pro tanto exercitu vix tantum pro mensibus duobus habemus, de nullis partibus admodum ad nos poterunt transportare. Calabria enim, quae e vicino nobis est posita, omnino jam victualibus est exhausta, ubi si in modica quantitate possint aliqua reperiri, sunt adeo illa cara, quod stipendiariorum stipendia non eis tantum sufficerent pro panis substantiatione solius. Apulia praeterea, et Terra Laboris, et Principatus, a nostro exercitu distant, propter quod appropinquate tempore autumnali, quo periculosus mare procellis incipit agitari, vasselli vix tunc aliquid poterunt navigare".

Dicit alius: "Domine, saltem istis duobus mensibus, pro quibus victualia pro exercitu toto sunt nobis, consulo, quod moremur; forsitan enim interim aliquid hic boni possimus operari, ac gentem rebellem obsidionis arctoris angustiis macerare".

Alius autem perspectius consilium suum salubribus adjuvat argumentis; dicit enim: "Domine, in agendis, quod extimatur tutius, est petendum. Gens quidem nostra longa hic obsidione jam fessa nimirum discedere cupit ad propria. Idem recedendi ardor omnes amplectitur, ut videtur; nam commoditates illas aestivas, quas noster exercitus, qui his littoribus applicuit, nondum vinearum et arborum consumptis faetibus, habuit, modo non invenit, nec posset usque ad anni renovationem aliquatenus invenire. Ad haec, Domine, si vos hic tempestas potius aspera intercludat, et, austro respirante, obsidio nostra perduret, non solum nos instanti hieme victualia non habebimus, sed inundosi maris concita tempestate flatus ventorum hiemalium ad terram vi vasellos nostros impellet, et erimus similes naufragis, et aut hic fame peribimus, aut, invalescentibus contra [Page 366]

nos hostibus, moriemur; nec prudentis est credere, quod rex Aragonum, cuius est in talibus magna et fraudulenta sagacitas, campestrem nobiscum descendet ad pugnam. Cogitabit enim vero tantum impedire vias maris, ne ad vestra huc littora navigio quis valeat applicare. Hostes praeterea tempore procelloso, et cadentibus imbris, portum messanensem, ubi nec hiemales nulla vincula tenent naves, nec vassellos alligat ancora adunco morsu, possunt exire cum volunt. In eo sane vasselli tamquam in tuta statione morantes, aut planis vento velis, aut remis impellantibus, in Farum securi prodeunt, aut relatione decursuum aquae Fari absque ventorum adversantium metu illuc redeunt, quando volunt. Praeter haec in qualibet parte usque ad Tauromenium montes inaccessibilis littoribus appropinquant, quos non est fas equinis pedibus peragrare. Perinde, domine, gens inimica nobis, quae, sicut nostis, mare modo siculum navigat, si audax Catalanorum populus, qui venturus est proxime, nos bellis vexabit, et armis ac sine nostrorum ictuum relatione nos ferient, et castrorum nostrorum latera molestabunt. Tutius est ergo, domine, ut veloci remigio petamus, dum possumus, redditum, et sit non furialis absque pavore discessus; ne forsitan mala gentis nostrae,

quae exercituum dissolutione consueverunt accidere,  
videamus. Insuper non expedit guerram  
istam mente furia decurrere, nec statim ad  
vindictam de supervenientibus noviter hostibus  
aspirare. Iniquum quippe nimis est quod delectat  
iratum: Farenses enim utilia, et gesta  
non sentiunt, quia dum commoti ad vindictam,  
rerum temperantiam nec cogitant, nec requirunt".

CAP.

XVII

Gallici ex obsidione Messanae discedunt.  
Sic igitur in contraria consilia scinditur sermo  
cujuslibet. Regis autem omnino multum infixi  
pectoris singula verba haerent: cuius membris  
nulla gens exhibet in agendis sollicitudines,  
sumpta cura modo propter adventum regis  
Aragonum, recentia vulnera corde nutrit, ultimo  
tamen adhaerens consilio, ut cariora praecedant,  
praemittit reginam in Calabriam cum  
omnibus suis caris. Jam divulgatur per exercitum  
regis Caroli deliberatio de discessu; jam,  
regina discedente, multitudo currit ad littora;  
quilibet conatur, ut non sit ultimus in recessu:  
praessurarum instantia et virorum clamore sine  
moderamine in lictus habet ..... anxie  
acies circumarrant, stridentes rudentes .....

temoni nondum soluta vela nautica promptitudo  
clamoris, vocibus auditis, suspendit, castra fremunt,  
et clamoribus proinde resonantibus magnis,  
aether, ac si hostis secum illis manualiter  
conjunxerit, fatigatur. Viri nautici duobus in [Page 367]

transeundo exercitu .... insidentes absque quietudine,  
transtris invigilant, alii cito vela solventes,  
et remos alii cum manu violenti impellentes  
galeae simul disjunguntur, et naves, quas  
nec remigare cerneret catervatim, et velis classem  
recedere non aequatis, sed impariter et inexpectata  
conserva, modo transfretare, modo  
refretare, ut reliquos non dimittant.

CAP. XVIII

#### CONSTITUITUR AD RECOLLIGENDUM EXERCITUM.

Ne autem gens minuta Messanae relinqueretur  
exercitus....cum jam contra regios confortati  
et animati forent, ipsius exercitus dissolutione  
perspecta, rex ad recolligendum populum,  
et custodiendum eos, qui ad citrafretandum  
ultimo remanerent, comiti Burgundiae provide  
ordinavit, fecitque fieri juxta littus maris in plagia,  
ubi vasselli recolligebant viros in altum,  
vallorum et trabium ambitum per circuitum aggeribus  
convallatum, ut dum reliqui cum dicto  
comite ad recolligendum ultimos excubarent,  
officium datum erat, se suaque in dicto objecto  
ambitu possint salubriter receptare. Nonnulli  
sane debiles, ut praevenire possent in recedendo  
alios, dimittebant arnesia, intendentes tantum  
ad salvandas personas, non res, aut quia per  
transvectionem nautica impietas illam mercedem  
aliquando exigebat, quae majoris erat, quam  
res transeundae, valoris, sicque regio jussu supellectilia  
multa, frumentationes, et nonnulli parvi  
equi, pro quorum cuiuslibet portatura unam unciam  
et nonnumquam duas nautica crudelitas  
exegerat, Messanensium manibus relinquuntur.  
Quamplures vero nolentes suos equos vivos ipsorum  
Messanensium usibus applicari, illos gladio  
perforabant. Insuper lignamina multa rudia et  
alia levigata pro diversis obsidionis operibus,  
quae a Calabria fuerant transportata, in quantitate  
non modica remanserunt in castris. Rex  
ipse propterea ultimus in citrafretando non fuit,  
quem forsitan dominam suam consortem congruum  
erat sequi. Postquam igitur totus regis  
exercitus citra Pharum transvectus est, rex ipse

Tuscis, Lombardis, et regnicolis, qui gratuito  
convenerant, aut ex servitio debito, redeundi licentiam  
impartitus, substitut in regno cum Gallicis.

CAP.

XIX

Rex Aragonum Messanam ingreditur.

Rex Aragonum, post solutionem exercitus  
Gallicorum, Messanam applicuit; classis ejus  
intravit portum postmodum subsequendo. Verum  
dum Provincialium, Pisanorum, et illorum de  
Principatu, et de Terra Laboris galeae proprios[Page 368]

lares remo et vento repeterent catervatim, non  
armatae viris, ut venerant, sed nautis, et personis  
ineribus oneratae; Catalani, quamquam  
essent laboribus tanti itineris fatigati, tamen de  
pristica Saracenorum caede superbi, et Messanenses  
etiam, qui sub tanta desperatione facti  
quodammodo redivivi, animos et vires assumpserant,  
cum XII galeis habentibus altas puppes,  
et proras aliquantulum elevatas, viris et armis  
ad pugnam necessario praemunitis, galeas praedictorum  
recedentium insequuntur, et, fugientibus  
reliquis, XVII manu interceperunt victrici,  
ac Messanam reduxerunt captivas.

Ex hac autem prima felicitatis sorte Messani  
et Catalani letitiae jubilo gloriantes, Ultramontanos  
suo carceri traditos conservarunt, Latinos  
vero liberos dimiserunt, in eorum optione  
ponentes, an vellent cum eis ad stipendia, seu  
aliter in Sicilia remanere, an magis ad propria  
remeare. Quibus Latinis in liberatione ajunt Messanenses:

"Nos nec reputamus inimicos nobis regniculos  
et Pisanos, sed amicos; potius Gallici  
tantum sunt nobis hostes; illos quaerimus,  
illorum sitimus sanguinem, et ipsorum refocillari  
mercibus affectamus. Scimus firmiter,  
quod vos domini de regno contra nos coacti et  
inviti venitis per Carolum. Scimus etiam, quod  
vos pariter nobiscum queritis libertatem regni,  
et eam anxie affectatis; sed in praesentia  
aliter facere non potestis, quin Gallicorum actionibus  
pareatis".

Ex duobus ergo regibus alti cordis, factis jam  
hostibus manifestis, altero agente Messanae, rege  
vero Carolo apud Regium commorante, ac altero  
contra reliquum omnem ebullientis invidiae  
accensis furore visceribus inimicitiae, per nuntios  
hinc inde transmissos crescent bellorum odia,  
crescitque in regno funebre bellum, et ignis  
jam inter fortis, favilla rediviva, succensus fomitem  
ad destinationem alternativam nuntiorum  
admittit.

CAP. XX

ECCLESIA ROMANA ACUIT GLADIUM.

Rex enim Carolus ad regem Aragonum nuntios  
destinavit, per quos eum de manifesta proditione  
redarguit. Interim autem Ecclesia gladium  
affixum templo, raro solitum reges magnos  
ferire laethaliter, et ideo a temporibus Frederici  
et posteritatis suae, cuius ictu perenniter corruerunt,  
scabra rubigine, quasi morsum, exerit,  
forbit, acut et vibrat, ut feriat, ac auditus  
viribus vulnera illa laethalia imprimat, quibus  
quondam idem Fredericus ejusque successio expiravit.  
Princeps interea primogenitus regis Caroli,  
ad quem de adventu regis Aragonum nihil huc  
usque pervenerat, congregat electam militiam,  
cum quo domini Petrus, Alfonsus, et comes Atrabatensis,  
nepotes regis ejusdem Caroli, venire  
in subsidium patrui, audita rebellione Siciliae,[Page 369]

ordinarunt, et quia semper principi videbatur accidere,  
quod acciderat, versus regnum de Gallia  
jam iter accipit veniendi.

CAP. XXI  
REX CAROLUS REDARGUIT PER NUNTIOS  
REGEM ARAGONUM.

Euntes ergo nuntii regis Caroli firma voce de proditione redarguunt, adjicentes, quod ipsum regnum invaserat, maxime quando coepit parare navitia. Primordialiter regem Carolum, si fideliter voluisse egisse, debuisset diffidare, ac si notam proditionis elegisset effugere, denuntiare primo debuit verbum guerrae, per quod concludunt et asserunt eum reputari debere merito proditorem, et ex eo potissime, quod regi Franciae suam voluntatem per litteras et per nuntios indaganti, ejus quod egit contrarium intimavit, expresse respondens, se non invasurum terram alicujus principis christiani, maxime regis Franciae ac apostolicae Sedis amici. Quapropter petebant nuntii praedicti ex parte dicti regis Caroli, ut terram occupatam consulto dimitteret, nec errorem assumptum ulterioris excusationis pallio contegat, quia ea, quam praetendit, caussa hujusmodi temerarii palliatione erroris illa est, quam quaerunt improvidi et presumptuosi cupientes recedere ab amicis.

CAP. XXII  
REX ARAGONUM NEGAT SE PRODITOREM, ET VULT PROBARE DUELLO.

Rex Aragonum ad praedicta terribili robusta voce respondit, quod non est proditor, nec debet proditor reputari, nec aliquid proditorie credit egisse, si vassallis uxoris suae subvenerat, quos per regem Carolum audiverat multa oppressione gravari; et, quod veritas in se suffragium habeat, quae dicit, bello se exhibet, ac singulari cum rege Carolo certamine probaturum. Super praedictis autem statim sollemnes nuntios ad regem Carolum pro parte sua disponit apud Regium profecturos. Postquam igitur nuntii regis Aragonum, ex quibus unus erat quidam Judeus de Messana, forsitan probrose transmissus, ut rex Carolus, qui novi hostis faciem propinquam videre non poterat, suos vassallos rebelles contra eum insultantes verbis et factis cerneret et doloreret, ad regem Carolum pervenerunt, transmissi fortassis pariter ad explorandum statum exercitus Gallicorum, et pervidendum partes illas, et ad se curandum se in malis agendis, regem Carolum alloquitur in haec verba:  
"Ecce, domine rex, regem nostrum bis appellasti

[Page 370]

per vestros nuntios proditorem. Prima vice morem gerens, pertransivit gallicam cum dissimulatione superbiam. Nunc autem attendens, quod hujus rei patientia sibi posset ad pusillanimitatem et imbecillitatem utriusque hominis imputari, si foret jam videlicet bis a vobis proditor appellatus, responsa digna negaret, ad vos, domine rex, super proditorie annotatione talia dat responsa. Dicit enim, quod non credit aliquid contra vos proditorie se egisse, sed assumptum regni negotium juste ac fideliter inchoasse; venit enim ad terram patrimonialem et filiorum, quam audiverat extranearum per vos novitatum cruciamine multo premi, et magna officialium vestrorum oppressione gravari. Constat enim quod recolendae memoriae rex Manfredus pater dictae suae uxoris, quem manus vestrae immaniter occiderunt, et quem vos regno et bonis omnibus patris et fratris cum labore congestis, et in aerario caesareo, quae nullius potentia regis abstulerat, spoliastis, regnum istud tenuit et possedit, et quod ex eo nulli alii praeter consortem suam, et alteram domicellam quam carceris custodia vestri servat, restant

superstites, vel haeredes. Cumque possessor, quantumcumque violentus, aut detentor occultus etiamsi fuerit rei possessae, restituendus sit ad ea, quibus extitit cum juris injuria spoliatus, merito absque proditionis nota rex noster in auxilium conjugis spoliatae per vos accingi potuit et venire. Praeterea, quae major inimicitiarum caussa inter regem, qui nec terram vestram aut regis Franciae turbavit aliquando, nec vestram aut vestrorum personas offendit, vel honores etiam impedivit, profecto, domine, non est mirabile, quod gener, saltem uxorea affectione pellectus, ad vindicandum funera tanti socii viribus si possit intendat, et quod rex honoris et terrae cupidus ad recuperandum regnum suis filii elaboret. Verum, domine, si vos ipsum, ut dicitis, verum creditis proditorem, ut evitentur multa personarum pericula, quae possunt futuris bellorum eventibus evenire, et effusioni multi sanguinis valeat praecaveri, poscit instanter inter vos et eum praedicta singulari certamine discuti et rei veritatem duelli experientia indagari. Tunc enim cum corpus vestrum corpori suo campo jungetur aperto, aut vestra superbia, et facta mendacia, aut ejus nota proditio finaliter patefiet".

CAP.

XXIII

#### OBLATIO PUGNAE, ET DE EJUS MODO EX PARTE REGIS ARAGONUM.

"Et in electione vestra, domine, ponitur, ut vel pedes, vel eques cum lancearum aut gladiorum gestamine aggredi velitis in campo duellum; et ut bellum recipiatis promptius, ac credatis quod rex noster de justitia non diffidit,[Page 371]

ipse praeter lanceam, si velitis, nulla defensionis vult arma gestare, vos autem, prout salubrius vobis reputetis adferre, corpus vestrum muniatis quibuscumque volueritis armaturis. Et si quidem rex noster vobis succubuerit praevalentibus, non solum vobis Siciliae regnum cedet, sed nec vult ulterius rex Aragonum nominari, nec de caetero inter famosos milites apparere, sed insigniis militaribus prorsus abjectis, orbem peregre circulariter peragrare; si autem, vobis remanentibus in campo confusis, ipse praevaleat, terram, quam occupatis, sine belli fatigione ac alicujus resistantiae obice, nec non et nomen et titulum regis Siciliae sibi libere dimittatis".

CAP. XXIV

#### RESPONSIUS REGIS CAROLI.

Rex ad haec Carolus voce senili, quam turbatus vix spiritus proferebat, quasi dignatus responsum reddere, sermonem responsurus abbreviat, et ait:

"Regem Aragonum quis non asserat proditorem, cui non sit ejus nota proditio, qui sub pacis tempore, elato malae voluntatis animo, paravit exercitum, fecit jacula, concinnavit dolos, et machinatus est laesiones, quibus offendat hominem improvisum, hominem viventem de eo securum, hominem, a quo nec ipse, nec antecessores sui ullo unquam tempore sentierunt injuriam? Sed, Eo faciente, per quem de nostris hostibus nobis est data victoria, laqueum forsitan, quo credit illaqueare sopitos, paravit pedibus suis, et incidit praeceps in foveam, quam effudit. Ad haec, amice, satis esset indecens, et personarum imparitate probrosum, quod solus cum solo, senex cum juvne dimicaret. Non enim hoc dicimus, quasi animo nostro jam cesserit amor laudis, aut quod sit nostra gloria pulsa metu, sed quia sexagenarii

aegra genua trahimus, et arctus jam  
hebetes habemus, pro eo quod tardante senecta  
gelidus in nostro corpore sanguis hebet,  
unde vires jam effaetae quodammodo frigent in  
artibus congelatae. Sed profecto, si nobis adforet  
illa juventus, quae nobis dudum aderat,  
quando vires melior sanguis dabat canente senecta,  
quae nobis amodo geminis sparsa temporibus  
cumulatur, aut illa quoque juventa,  
qua rex vester fidens, contra nos duelli verbis  
insultat, duellum oblatum nullo diffugio vitaremus,  
imo eum ultra incitaremus ad talia, tamquam  
nostrum et Ecclesiae romanae notorium  
proditorem. Sed quantumcumque senecta nos  
aggravet, placet nobis, quod rex vester eligat  
sibi certam suorum militum quantitatem, nosque  
de nostris totidem eligemus, et si credit  
de proditione pugna media excusari, campestrem  
descendemus ad pugnam: tunc enim  
certo certius apparebit, qui gestat animum proditoris".[Page 372]

#### CAP. XXV

Pugnae pactiones constituuntur.

De pugna ergo inter reges per sollemnes nuntios  
arduus fit tractatus, sed de numero compugilum  
et loco certaminis aliquantulum alternativa  
vota discordant. Rex enim Aragonum metuebat  
de dolo regis Caroli, et suorum potentiam,  
ne, si forte vinceret, vinceretur, et, si bellum  
perderet, perderetur. Propter quod cum obtulisset  
in Calabria cum rege Karolo pugnaturum,  
petuit obsidem principem unicum natum regis.  
Sed nec de numero concertantium magno unquam  
voluit concordare rex Aragonum, nam cum ageretur  
de C militibus assumendis hinc inde, respondit  
nuntiis regis, dicens: "Ubi invenientur  
C ita boni milites armis experti, qui possint ad  
tantam pugnam idonei reputari? Nos diffidimus  
posse illos apud nos, vel in toto regno Aragoniae  
reperi. Forsitan nec in utrisque regnis Italiae,  
Hispaniae, ac Aragonum reperirentur hujusmodi;  
et, dato quod inveniamus eos, illos forsitan  
nolumus hujus pugnae discrimini exponere;  
et si nos omnino vellemus, forsitan ipsi nollent  
sub tanto discrimine laborare; et si vellent  
obtentu nostro ad onera tantae pugnae promptos  
suos humeros exhibere, nos tamen considerato  
quod totum propterea nostrum regnum  
posset velli, nollemus eos huic casui fortuito  
demandare". His et aliis verbis rex Aragonum  
cum nuntiis regis Karoli longo tractatu tantum  
de numero disceptabat, quamquam pugnam finaliter  
acceptasset.

De loco ad haec pugnae, recensisit singulis locis  
communibus, demum ad concordiam venientes,  
firmatum est, juramento hinc inde per procuratores  
praestito, et per plures uniuscujusque  
partis milites magnos viros, quod in eodem campo  
prope Burdegalam civitatem, quae subest regi  
Angliae Odoardo, quem reges praedicti communem  
reputabant consanguineum et amicum, debeat  
haec concertatio consummari. Locus enim  
ille communis per consequens propter dominium  
dicti regis Angliae credebatur, quamquam magis  
Gallicis propinquaret. Fuit tamen intentionis  
regis Caroli, et hoc inter nuntios regum ipsorum  
fuit juramento vallatum, quod C cum C deberent  
in campo ad haec deputato communiter  
concertare. Sed qui cum nuntiis firmatae pugnae  
tractatibus adfuit ..... quod rex Aragonum,  
quotiens de hujusmodi secum certamine agebatur,  
dupli verbo protestabatur de numero,  
quasi diffidens posse C electos, et huic pugnae  
opportunos, milites invenire.[Page 373]

CAP. XXVI

Almogaveri Gallicorum castra noctu invadunt  
ac praedantur.

Firmatis igitur facienda pugnae foederibus,  
quod plerumque discriminis ingruentia mentem  
reddit amentem, et furor nonnunquam caecat  
hominem eumque reddit immemorem, Galici,  
qui erant Catonae, nondum Catalanorum advertentes  
insidias, et se forte tutos ibi credentes  
propter regis Caroli vicinitatem apud Regium,  
quod a Catona distat per sex miliaria, commorantes  
negligunt se, et terram illam Catonae,  
quam nec defossum aggeris vallat, nec muros  
tuetur fabrica, nec trabium ambitus reddit fortem,  
sed plana sine montis et defensionis obice  
tota jacet, per noctis excubias custodire. Nec  
requirunt etiam quod expedit, ut balistrarri muniant  
passum vetustissimi nemoris Solani, et  
quoddam casale plenum incolis in nemore ipso  
constructum, quod a nemore nomen...venire  
citra insulam Catalani, rege Carolo inibi  
existente.

Sed, quia hostium et adversantium exercituum  
cognitione sunt vanae, et alter ignorat  
alterius cogitatum, alterque fraude dolove molitur  
in alterum, cum nec dolus, nec virtus in hostibus  
requirantur, Almogaveri subito Syculorum  
conductu nocte prima veniunt apud monasterium  
Syllae, locumque sine resistentia occupant  
et disrobant, deinde invadunt terram et monasterium  
Balneariae, omniaque inventa diripiunt  
et convertunt in praedam. Demum ascendunt altum  
Solanum, ibique subsistunt, et assecurati  
etiam sunt aliquantulum, visis nemoribus, quorum  
cultores, ut fatur, factique monticulae loca  
opaca et devia illorum montium bina manu dextera  
ferro acuto crispantes hastilia, quotidianis  
complent discursibus, viisque praecidunt, ut  
Regium a rege Carolo nulli patere possit accessus,  
nec portantibus fodrum transitus habeatur.

Postmodum vero, dum Gallicorum agentium in  
Catona fessos arctus sopor complectitur, eo videlicet  
tempore, quo prima quies mortalibus aegris  
serpit, aliaque comitiva Almogaverorum venit  
de Messana conductu Messanensium eorumdem,  
qui terram predictam Catonae, somno vinoque  
sepultam, violenti, velut fulgur, invadunt;  
quorum jam insidiis patefactis, doloque detecto,  
terra illa doloribus immiscetur; clarescunt ecce  
armorum sonitus, et maximus Gallicis orror ingruit,  
audito quod terram Almogaveri invasissent.

Caeduntur ergo ex Gallicis siqui sunt vigiles,  
et excitati per strepitum aliqui, nec clamores,  
nec illata vulnera sentientes, in ipso quietis  
sopore sine doloris punctura amimam dimittunt.

Corrunt ergo improviso multi tunc Galici  
Catalanorum hastilibus, nonnulli personas et  
arnisia, quamplures vero subripentes se a manibus  
invasorum arnesia tandem perdunt et equos,  
quos aut asperi Almogaveri manus exenterat,[Page 374]

aut, si praeservare possit, traducit ad littora.

Post

haec Almogaveri, qui non nisi marina  
littora, ut, si expediatur, se in mare valeant receptare,  
aut saltuosa petunt nemora, ut objectu  
arborum frondiferarum, et aggeribus collium,  
et lapidum multitudine inspidorum defensos, eos  
aut eorum vestigia equina velocitas, petente sessore  
milite, non attingat, aliqui confugiunt ad

Solanum, aliqui Messanam redeunt onusti spoliis  
Gallicorum.

CAP. XXVII

PONITUR, QUI SUNT ALMOGAVERI, ET QUO VADUNT  
DE NOCTE.

Genus sane istorum, quos modo vulgus Almogaveros nominat, bellici studii est aspernum, belloque intractabile semper, donec spiritus vititens durat eis; et ideo fas est credere, quod denuo quaerant bella. Sed, quia, ut praedictum est, loca vitant, quae calcare valeant equina vestigia, per caecam noctem dumtaxat querere praelia subnituntur, ac lucem odientes, cum male agunt, non nisi nocte contratam omnem circuunt et revolvunt, velut lupi raptore sub atra nebula discurrentes, quos improba rabies ventris excoecat, ut aliquid rapiant, et reportent catulis propriis expectantibus faucis siccis escam.

#### CAP. XXVIII

Rex Karolus retrocedit, rexque Aragonum

Regium ingreditur.

Rex ergo Carolus considerans, quod Catalani Solani passum praeoccupaverant, ubi non poterant offendii faciliter, dubitans etiam ne Almogaveri adeo per suos discursus omnes vias, per quas ad exercitum ipsius regis aliquis ire poterat, impedirent, necessariis genti gallicae omnino deficientibus, non solum apud Regium tantus Gallicorum exercitus, sed nec posset in tota Calabria propter rerum inopiam commorari, civitate Regia cum deliberatione dimissa, versus Militensem Dioecesim retrocedit, et in plano S. Martini, ubi adhuc veteris castri S. Martini munita supersunt, prope terram novam, quam comes Fredericus Lancea quondam construxerat, et accolis illius castri fecerat habitari, castrametatus est, et ibi tandem totus regius exercitus congregatus.

Cumque cives regini, qui remanebant in fauibus Sycolorum eos naturaliter odientium, regi discedenti suppliciter exponerent, quod, cum dimittantur sine defensoribus et gallicae gentis custodia, non possunt per se terram illam muris debilibus circumseptam defendere contra Syculos [Page 375]

et tenere, ipsis a dicto rege potentibus, quid eis de caetero faciendum incumbat, contra ipsum regem nullo modo de proditione notentur, rex ipse, quia ipsius terrae debilitatem noverat, et civium imbecillitatem sciebat, plenam licentiam impertitur ut faciant quidquid volunt, sine metu penae, qua plectendi sunt hujusmodi sceleris patratores. Statim ergo Regini mittunt Messanam, et advocant Catalanos et Messanenses jam accintos ad citrafretandum in Calabriam, certificati de recessu regis Karoli et suorum. Et venientem novum regem cum multitudine peditum in civitate suscipiunt, quibus propter Gallicorum exercitum victualibus jam exhaustis de tota Sycilia, occasione regis Aragonum, suaequa gentis convenientis inibi, subvenerunt.

#### CAP. XXIX

REX ARAGONUM PONIT SE IN CAMPO CORONAE.

Nec est mora, rex Aragonum Gallicis cupiens vicinari, ut aliquid suis viribus videatur ostendere, cum multitudine arceriorum et balistrariorum, paucis tantum militibus respective, transit nemus Solani, et prope Seminarias in planitia montis, qui vocatur Corona, ubi quondam temporibus Manfredi Messanenses per quemdam Conradum Trinciam de ducatu Spoleti fuerunt turpiter debellati, et probrose devicti, ordinat exercitus sui castra, sed nec certat ad plana descendere, aut aequo campo se dare, metu copiosae multitudinis Gallicorum.

Interea ecce princeps Alphonsus, et comes Atrebantium cum mille militibus, non occasione regis Aragonum, sed propter rebellionem Syciliae congregati, regnum intrant, et de mandato regio sine mora properant in Calabriam, et

cum regis Caroli exercitu se conjungunt, ibique  
in plano praedicto Sancti Martini fatigata itinere  
membra repausant.

EXPLICIT LIBER NONUS.[Page 376]

INCIPIT LIBER DECIMUS

CAPUT I

REX ARAGONUM REPUTATUR EXCOMUNICATUS  
AB ECCLESIA.

Sed, dum concertaminis memorati vallata pacta  
deponerent, dum princeps et comites in regis  
subsidiū jam venissent, dumque regum hostilia  
castra fremunt ..... volens sic percutere,  
quod mederi non valeat, dictum regem Aragonum  
per excommunicationem contra fautores  
et complices Sycolorum cujuscumque conditionis,  
praeeminentiae, vel status existant, generaliter  
promulgatam declarando reputavit in ejusdem  
excommunicationis laqueum incidisse, eumque  
propterea fieri anathema ..... dierum ad privationem  
regni suaे Aragoniae per recessum ..

... Postquam igitur divus Martinus summus  
pontifex memoratum regem Aragonum,  
sua ira contra complices Sycolorum generaliter  
promulgata, denunciavit vinculo excommunicationis  
adstrictum, et eamdem contra eum apud  
Montem Flasconem excommunicationis sententiam  
innovavit post lapsum termini, quem ad  
exeundum de Sycilia dicto regi Aragonum illuc  
nullo reddituro tempore assignavit; idem dominus  
Papa regem ipsum regia dignitate depositus,  
ipsum Aragoniae regno privavit, publice super  
haec postmodum apud Urbem veterem et sollemniter  
sententiam proferendo.

Verum non mireur quisquam corde tacito, et  
linguae detractione confabulet, quo jure ipsum  
apostolica Sedes potuerit Aragoniae regno privare.  
Pro certo asseritur, et nos firmiter tenere  
debemus, quod in archivio romanae curiae invenitur,  
qualiter Petrus quondam rex Aragonum  
avus dicti Petri regis Aragonum regnum ipsum  
eidem Ecclesiae constituit censuale.

CAP. II

VERBA REGISTRORUM PAPALIUM DE REGNO  
ARAGONUM.

Habent enim in se registra dictae Sedis, ut  
ajunt, qualiter s. memoriae Innocentius papa  
III quondam dictum Petrum avum, assotiatum  
multorum procerum comitiva suorum, per  
mare ad Sedem apostolicam venientem, ut inibi  
ab eodem Innocentio papa militare cingulum  
et regium acciperet diadema, honoravit multipliciter,  
et honorifice et benigne recepit, et eum  
in ecclesia S. Pancratii prope trans Tyberim per  
episcopum portuensem faciens in regem injungi,  
deinde propriis manibus coronavit, et regalia  
insignia universa, mantum videlicet, colobium,  
sceptrum, et pomum, coronam, et mitram, quae[Page 377]

ad opus ipsius non solum speciosa, sed et praetiosa  
parari fecerat ex more in regum coronationibus  
observando, largiens eidem, ab ipso corporale  
juramento recepit, pro cuius religione,  
inter caetera, fidelitatem et obedientiam ipsius  
summo pontifici, ejusque successoribus eidem  
romanae Ecclesiae regnum suum in ipsius obedientia  
fideliter conservare promisit. Et demum  
idem rex cum multo tripudio et applausu coronatus,  
juxta Innocentium papam praedictum  
ad basilicam principis apostolorum de Urbe rediens,  
super illius altare sceptrum et diadema  
depositus, et militarem ensem de manu Innocentii  
ejusdem papae recepit, dictumque suum regnum,  
in antea censuale a suis praedecessoribus  
ejusdem Ecclesiae constitutum, cupiens personaliter

post Deum ejusdem beati Petri et apostolicae  
Sedis protectione muniri, praefato Innocentio,  
et per eum dictae apostolicae Sedi, obtulit,  
illudque sibi et suis successoribus in proprium,  
divini amoris intuitu, et pro remedio  
animae suaे, et progenitorum suorum, novo  
adjecto censu, constituit censuale, promittens  
quod ipse ac successores sui speciales eidem Sedi  
fideles et obnoxii teneantur. Haec autem papa  
lege fore servanda decernens, ut hujusmodi regalis  
concessus firmitatem inviolabiliter obtineret,  
ipsam in scriptis redactam, et procerum  
curiae suaे consilio sygilli sui munimine roboratam  
concessit papae Innocentio supradicto.  
Unde, quia dictus rex Aragonum nepos dicti  
Petri regis, quem tamquam haeredem in regno  
sicut et caeteros successores suos idem rex avus  
suus sollemniter obligavit et ejusdem Ecclesiae  
fidelitatis et obedientiae fecerat debitorem, violavit  
fidem hujusmodi, qua romanae Sedi tenebatur  
astrictus, et invadendo contra fidem rem  
Ecclesiae, Ecclesiam offensavit, per Sedem apostolicam  
contra eum ad privationem dicti regni  
Aragonum, Sedis censualis ejusdem, jure procedi  
potuit, sicut dicunt. Depositioni tamen hujusmodi  
plures de collegio suum consensum impartiri  
omnino tum subito denegarunt, cuius rei  
causam non est habilium perscrutari, nam divinari  
potius esset causam pingere, quam veritatis  
seriem enarrare.

### CAP. III

#### CONCEDIT PAPA REGNUM ARAGONUM FILIO REGIS FRANCIAE.

Immediate igitur sine longi temporis intervallo  
praefatus dominus papa regnum Aragonum  
in Ecclesiae dominium ex causis expressis  
superius revocatum in secundogenito illustris regis  
Francorum Philippi de mera liberalitate  
transtulit, eique gratiore concessit. Huic et translationi  
et concessioni quidem domini cardinales  
in principio sicut nec depositioni praedictae  
consentire discordibus animis noluerunt. Ad inducendum  
post haec dictum regem Franciae,[Page 378]

quod concessionem hujusmodi pro memorato secundogenito  
promptus acceptet et negotium  
ipsius regni Aragonum contra regem depositum  
viribus assumat et animo, et temporali gloria  
..... vivaciter exequatur, ac quos  
Ecclesia verbaliter poenis addicit, realiter ipse  
percutiat et flagellet, venerabilem patrem dominum  
Joannem dictum Zelotta, tituli sanctae  
Ecclesiae presbiterum cardinalem, apostolica  
Sedes in Franciam providet prefecturum. Huic  
autem postquam suis aut verius Sedis apostolicae  
monitis rex Franciae ac inductionibus acquievit,  
et concessionem hujusmodi pro secundogenito  
acceptavit, dominus papa in regno Franciae  
plenaе legationis officium impertitur, cardinali  
praefato committens nihilominus, quod  
in auxilium regis Franciae, ac sui secundigeniti,  
quem jam regem Aragonum titulat, praedicet  
contra inobedientes Aragonenses publice verbum  
crucis.

### CAP. IV

#### DECIMAE COMMODANTUR IN SUBSIDIUM REGIS FRANCIAE.

Praeter haec in subsidium regis Franciae decimas  
ecclesiasticorum proventuum per totam  
Galliam dominus papa colligi, ac regi eidem  
exhiberi per aliquot annos mandat. Ad haec,  
quia litium et bellorum dubius est eventus,  
multaque veniunt sub coeco marte discrimina,  
quaesoli Deo tamquam futura sunt cognita,  
quaero quis tam perspicax mathematicus augurari

lingua praesaga valeat, quae caussa sit  
victrix, quaeve sit victa, an quae victura, quaeque  
vincenda? Posset forsitan sub generalitatis  
dubio respondere: victrix caussa diis, sed victa  
placuit rationi; praecor haec secum disserere,  
postquam de fine sibi constiterit agendum. Unum  
scimus ad praesens, quod te, Petre, rex Aragonum  
quondam appellate, jam regem ulterius non  
audemus dicere: non deditigeris igitur, si de  
caetero in agendis baptismatis nomine appellamus,  
nam istud cum persona sua fertur, quod  
mors sibi rapere sola potest. Ecce rex Carolus  
te Petrum in loco pugnae satagit praevenire, et  
ut in Calabria post subsistat instruis insidias,  
et paras offendicula pedibus Gallicorum. Rex  
igitur Carolus, qui propter jusjurandum adimplere  
pactorum foedera intendebat, dimisso principe  
primogenito suo in toto regno vicario, versus  
Franciam gressus accelerat, milites quosdam,  
quos de pugnatorum numero centeno ferre decreverat,  
secum ducens.

#### CAP. V

Quum princeps in plano S. Martini moraretur,  
rex Aragonus Seminarias ingreditur.  
Princeps ad haec in plano S. Martini cum  
exercitu copioso subsistens, et existente sibi domino[Page 379]

Petro comite Alansano, inibi castra firmans  
ad custodiam Nicoterae, que prope littus maris  
sita per paucas leucas distabat ab exercitu Gallicorum,  
et a Messana civitate per littora marina  
XX, Atrabatensem comitem jubet ire, dubitans  
ne Messanenses et Catalani terram illam per  
mare occupent, et occupatam faciant custodire  
in exercitus principis detrimentum. Ex tunc  
enim Catalani et Syculi post captas adversariorum  
galeas per mare Tyrrenum insolenter  
vagari coeperunt, et in eo quasi soli habebant  
dominium; cursitare praeter haec nonnullos galeones,  
qui piratico cursu aequora circuirent,  
provide ordinarent. Ex tunc etiam post ribellationem  
Syciliae, rege Calabriam dimittente, malorum  
gentis gallicae primordia inceperunt, et  
operum Syculorum, et complicitum labes coepit  
labefactare contratam; ex tunc quoque potissime  
post dimissam civitatem reginam pacta regis  
Caroli retro fluxerunt, et Gallicorum spes quotidie  
visa est sublabi, vires que ipsorum sine visibili  
pugna confringi.

Sed, ut dictus Petrus de Aragona, demorans  
adhuc in loco praedicto Coronae, Gallicos in  
fronteria se palantes telis et insidiis superet,  
quorum vires aequare non poterat, nonnullos  
Graeculos de contrata, qui tamquam ii, quorum  
discursus nullius cura ingruebant, exercitum utrumque  
revisere, explorationes status Gallicorum  
per loca illa constituit. Sicque dum octingenti  
stipendiarii equites gallici apud Seminariam  
commorantur, quae distabat per duas leucas  
tantum a plano Coronae, ubi Petrus de Aragona  
cum exercitu residebat, contingit, quod quodam  
magistro Henrico dicto Barrotta portante  
VI. M. unciarum auri pro stipendiariis praedictis,  
apud Seminariam commorantibus, qui  
thesaurarii vices in hac parte gerebat, dum ibi  
nocte manerent, adventus suus cum hujusmodi  
pecunia, exploratorum praedictorum relatibus,  
ad aures dicti Petri de Aragonia est perlatus.  
Igitur idem Petrus, qui est auri cupidus, non  
minus cupiens per quemlibet modum laedere Gallicos,  
et adducere in exterminium inimicos, exercitus  
utriusque cupidine, noctis tempore Catalanis  
amictus, descendit pedes cum multitudine  
peditum proclives colles, quibus Seminaria  
subest, quia custodes non credebant intrantes

hostes fore, et terram silentem invadit, et cum non sit terra ipsa objectibus roborata murorum, Almogaveri, et qui cum eis erant, silentiosi passum terrae paeoccupant, ubi quamplures pervaigiles tutos per nocturna silentia quiescentes..

..... cubabant; ipsi autem custodes non credebant, qui veniebant, affore inimicos, nisi quatenus manus intrantium, contra eos inculcantes ictus, et sua torquentes hastilia, cognoverunt.

Haec enim sunt Almogaverorum gestamina: manus quidem sinistra bina gestat hastilia, scilicet [Page 380]

lancea lato ferro, et missile cum acuto, dextera vero tertium jaculum, quod praemittit in hostes, ita quod duobus admodum arundinis vento agitatae crispatis, et dextera ipsa jaculatis missilibus, pro defensione ac impulsione lancea sola manet. Licet ergo custodes resistere cooperunt, eis tamen caesis, qui primi occurrerant Catalanis, statim ipse Petrus cum electis Almogaveris personaliter ad domum dicti Henrici recte, ac si alias in ipsa terra fuisse, quam numquam viderat, festine procedit ubi dictus Henricus tutus propter tantam militiam quiescebat. Post haec clamorosis vocibus divulgato rumore, quod terram hostes habebant, multi ex Gallicis, et nudi, et pedes, multi cum equis non sellatis, nonnulli minus magisve suis amitis et armaturis assumptis, prout citius aut tardius potuerunt, hostium intrantium constricti pertransire tumultus exiverunt a terra. Et in hoc morem animositatis et audaciae servaverunt, quod sui memores, nullatenus hostium imminentium terrae conjuncti sub Seminaria ad medium leucam simul omnes in unam se massam milites glomerarunt, numero forte V.C., deliberantes invasionis tam subitae moraturi ultima, finemque videre, ac expectare inibi, donec sol oriens restitueret eis diem; quamplures tamen ad significandum principi praedictum nocte illa properare processerunt. Memoratus autem magister Henricus cum familia sua praeventus ab hostibus, dum praeter exigentiam ordinis clericalis, cuius tunc habitum non gestabat, nititur se tueri, et armis, quae tunc in illo subito manus provida potuit apprehendere, molitur in hostes, vitam ibi sanguine finivit effuso. Domum ergo ejus totam Catalani rimantur propter indicatum thesaurum, qui pridie fuerat visus ibi; sed jam erat principi destinatus; sicque dum ad domus tam dicti Henrici Catalani sua vota convertunt, et illuc dirigunt manus armatas, paucos Gallicos praeter familiam ipsius magistri Henrici jacula catalana contingunt. Postquam vero lucem mortalibus restituit alma dies, Catalani, dimissa Seminaria, castra sua ascendunt; Gallici autem extra Seminariam glomerati, certi prius quod abscessissent hostes, ad terram redeunt, nec tamen equos et exuvias dimissas ultra reperiunt, quas manus hostiles exportasse feruntur.

Princeps post haec illa die ad visitandum terram invasam, et qui erant in illa, statim transmittit decentem suorum militum comitivam, sed deliberato consilio, quia dubitabat, ne Seminariam iterum hostes invaderent et occuparent, et occupatam facerent custodiri, ut addatur afflictis afflictio, et ultra naufragium in naufragium feratur, terram praedictam depopulat, et mandat inhabitari, et sine incolarum habitatione dimitti, propter quod ipsius terrae habitatores in extraneum deducti exilium per Calabriam disperguntur. [Page 381]

Siciliam petit.

Postquam Petrus de Aragona suas dilatavit  
adeo fimbrias, quod terras plures adjacentes exercitui  
principis occupavit, habuitque quandam  
civitatem, quae Geracium dicitur, volentibus  
civibus et introducentibus Catalanos; sed cum  
in ea sit castrum fortissimum, in quo se statim  
dominus Guydo de Alemania cum Gallicis receptarat,  
castrum ipsum habere dictus Petrus  
nullo modo potuit, quamquam gentem gallicam  
inibi receptatam quotidianis fecisset insultibus fatigari.  
Deficientibus igitur obsessis aqua et viciualibus,  
cum non posset eis per principem subveniri,  
aut quoquomodo succurri, pro eo quod civitas  
illa pro se fortissima est, credebat firmiter,  
quod dictus dominus Guydo aut castrum fugiens  
nocte dimitteret, aut obsidentibus sub pactis eodem  
castro redditio, suum cum hostibus pacisceretur  
abscessum. Verum quia uxor dicti Petri  
filia quondam Manfridi cum duobus suis filiis,  
magistro Joanne de Procita comitata, Panormum  
venerat, idem princeps, qui ceperat quemdam  
Syculum exploratorem cum litteris, et suspendio  
dederat, a quo quaedam contra se machinata  
quaestionibus dicitur extorsisse, coepit  
vehementissime dubitare, ne quidam Palmerius  
de Abbatie, oriundus de Trapano, civis panormitanus,  
famosus in tota Sycilia, dives agri et pecoris  
inter omnes illos de Valle Mazariae, cum  
aliquibus Syculis conspiratione inita, contra  
uxorem et filios ipsius Petri, eo in Calabria  
exercitualiter commorante, aliquid attentaret,  
sicut de iis rem suspicabilem alias fama diffusa  
videbatur habere, et quod tempus pugnae stimulante,  
vere jam novo appropinquante, ipsius  
recessum exigere poterat, subito Geracio  
et nonnullis terris dimissis, quas Catalani nocturnis  
discursibus occuparant, et dimisso etiam  
campo Coronae, ac exercitu dissoluto, dictus  
Petrus cum suis omnibus retrocedit. Non tamen  
si qua potuerunt apprehendere spolia dimiserunt.  
Jam ipsi pro moribus, et pro obtenta  
consuetudine observabant, ut terras pro spoliis  
tantum peterent, et de castris occupatis, et non  
munitis ..... et spolia flagitarent, regnicolas  
pro auro, pro fructibus pecora, et boves  
pro coriis diligentes. Civitate tamen Regina,  
fortificata per gyrum et defensoribus, tota dimissa,  
dictus Petrus absque mora repetit Insulam,  
ubi de majoribus quosdam illico per suspicionem  
cepit, et suo carceri mancipavit, et  
tandem adeundum ad Aragoniam futuri in occasione  
certaminis jam accinctus, filii et uxore  
dimissis, dictum Palmerium de Abbatie, pulchro  
capiendi modo, in sua comitiva complectens,  
eum in Aragoniam secum ducit.  
Interea aextivi temporis intemperie veniente,  
multitudo Gallicorum, propter varias incommoditates

[Page 382]

exercitus, caepit languere febribus, et  
extingui, quasi majori exercitus epidemia laboraret.  
Sicque dictus Petrus comes, cuius merita  
quandam placibilitatem caeteris, qui eum  
noverant, aut viderant, vel nominari audiverant,  
effectuabant, sub velo tentorii continuata  
febre gravatus, cuius tota vita delicatissima erat  
et placida, in dicto plano Sancti Martini dies  
suos, proh dolor, intempestivae mortis insidiis,  
florente juventute, finivit.

CAP. VII

PRINCEPS MUTAT CAMPUM.

Tandem cum, deficientibus viciualibus et annonae,  
fames superveniens opes Gallicorum attenuasset,  
desertamque pro equis maxime paterentur,  
cum non invenirentur potissime foragina,

nec haerba pratorum, necessitate cogente,  
Gallici ad lata illius plani faecunda pro pascendis  
equis manus illassant, omnibus illis contratae  
sectis in haerba segetibus, et consumptis.  
Princeps venit Nicoteram, plano dimisso, totusque  
suus exercitus juxta littus maris per constructa  
mapalia levia, et figura fluvialium fruticum,  
et paladinorum arborum ramis tecta se  
ponit; ibique octo magna corpora galearum jubet  
refici et parari, quas olim rex pater Tertianatui  
Nicoterae mandaverat colligari.  
Post haec rex Carolus, XVII galeas electissima  
bellatorum gente armatas, de Provincia  
mittit in regnum pro custodia maris potissime,  
cujus Catalani occupaverant dominatum, post  
quarum adventum regnicolae quandam securitatem  
assumentes, de Principatu, et de Terra Laboris  
ad exercitum principis navigare securi, et  
victualia transportare. Sed postmodum dictae  
galeae ad subveniendum castellano insulae Maltae,  
quaes per XXX leucas a Sicilia distat, et ad  
muniendum castrum ipsius insulae victualibus,  
et gentis amplioris numero dirigantur, quas Catalani  
et Siculi, cum jam apud Maltam accessisse  
agnoscerent, eas fere cum pari galearum  
numero inseguuntur, cumque jam attingunt eisdem,  
illas cum proris ad instar arietis ferro conjectis  
remis impellunt, feriunt, et invadunt.

CAP. VIII

#### DEBELLATIO ET CAPTATIO GALEARUM.

Junguntur ergo ex adverso galeae, bellum superstantes  
aggreiduntur, hinc inde pugnatur aspere,  
per utrosque saxa demissa volant, et faces  
ignis penniferi, fulminantur missilia, et lanceae  
jaculantur acutae, franguntur remi, et temones  
sine gubernatione vagantur; haec dat locum ponto,  
alia galea nuda superante promergitur, fitque  
tanta nautarum et superstantium caedes [Page 383]

hinc inde, quod ex tantorum cadentium in mare  
sanguine mutavit unda colorem. Interdum  
autem Messani ..... quiescentibus, novae  
galeae Provincialium cum multis personis  
de bello seductis innoxiiis, per manus Catalanorum  
et Messanorum capiuntur, et tres cum  
superstantibus, et nautis pelagi demergunt in  
fundum, reliquis altum mare potentibus, et victoribus  
ad recensendum captos, et spolia suosque  
deperditos aliquandiu remanentibus juxta  
littus, ubi fuerat actum bellum.

CAP. IX

#### NOBILES DE FRANCIA FREMUNT OCCASIONE PUGNAE FIENDAE.

Occasione igitur pugnae juratae, rege Carolo  
jam in Francia existente, militia galica per  
universas terras Galliae caepit tota fremescere,  
et arma sumere, ac ad eundum videre hujusmodi  
futurum certamen accingi; cum enim rex  
Franciae, cujus Carolus patruus se velle de numero  
centum esse ultroneus obtulisset, barones,  
et nobiles Galliae tum consideratione regis Caroli,  
cujus susceptis compatiebantur in malis,  
..... tum etiam tractatus effectu videndi novam  
pugnam, quam volebant, quod non pertransiret  
oculos invisa, quam rem forte credebant  
eximiae novitatis, generaliter omnes equis et  
armis, ac si essent singuli dimicaturi cum hostibus  
accinguntur.

CAP. X

#### DESCRIBITUR LOCUS PUGNAE.

Interim autem in campo committendae  
pugnae fiunt castra fortissima, per quorum girum  
alta effodiuntur aggera, et profunde defossa:  
fit per circuitum intra limites trabium ferro  
et juncturis ligneis colligatus sede et stationes,

et eminentia spectacula, per quae aspicientibus  
pateat tota pugna. Casae quoque ac mansionunculae,  
distinguentes convenientium dignitates,  
et cuiuslibet potestatem, circulariter construuntur,  
fitque inibi unica tantum porta, per quam  
aditus pateat ingredientibus ad duellum: ejusque  
taliter est ordinata clausura, ut nec sit post ingressum  
fas egredi nisi victoribus, cum pars altera  
succubuerit. Sedes autem, et stationes, ac  
cellae Catalanorum nobilium, et Petri de Aragonia  
fiunt in fronte .... parte juxta caput campi  
in majori a porta distantia positae, quam  
ceterae mansiones. Suspitiosi autem et consci  
hanc hujus rei referunt esse caussam; ut si forte  
Petrus de Aragonia perdat bellum, bene quidem,  
quia juxta gallica vota perdetur. Si autem  
victo quasi certamine Karol.....propinquo[Page 384]

victor exultet, tunc eo cum gente sua lignorum  
parietibus angustato, non valente tam  
cito ad regressum portae recurrere, aut se cum  
exteris immiscere, quidam milites gallici electi,  
et deputati ad succurrentum regi Karolo,  
et suis centenis, circum introytum aggeris stantes,  
statim prodeant per spatia campi, et Catalanos  
praevalentes ut sub armis exterminentur,  
possint concussionibus macerare. Quid enim  
foedum saeva conscientia non praesumit? Laesa  
quidam scientia ad suae horribilitatis accidiam  
se retorquens, obscoena semper cogitat, et  
veritati propria praesumptione detrectat.  
Post haec frequenter contra hujusmodi ad aures  
dicti Petri rumoribus multorum inculcatis,  
idem Petrus futuri praecipitii cogitatione perplexus,  
et imminentium discriminum cura gravis,  
ignorat protinus quid sit acturus: an ipse  
videlicet, qui nequit secum tantam militiam ducere,  
ut, si expediatur, possit multititudini gallicae  
ad pugnam conventurae resistere, se inter famelicas  
fauces jactitet Gallicorum; an magis  
jurisjurandi religione necessitudine violata, in  
poenam infamiae pactorum malit incidere, quam  
praeceps in tot visa pericula se jactare. Cogitans  
igitur satisfacere jurjurando, non pugnando,  
sed in agonis loco protestando, quod sine gravi  
periculo in loco illo decreto, ad quem debebat  
occasione belli tanta multitudine Gallicorum convenire  
.....; qualiter in agonis campo se solum  
saltem armatum quasi ad certamen accintum  
ignorantibus queat Gallicis praesentare.

#### CAP. XI

#### PETRUS DE ARAGONA VADIT AD LOCUM PUGNAE INCOGNITUS.

Ergo personam sagaciter institoris assumens  
et deponens regis exuvias, cum uno scutifero dextrarium  
aliquem adestrante, ipseque veloci et  
agili equo insidens, iter arripuit, ut, die adveniente  
statuta, in agonis campo bajulo regis  
Angliae se praesentet, volens in itinere aut de  
convenientibus ad pugnam videri, aut mercator  
equos ducens, ut distrahat pugnaturis obviantibus  
apparere. Sicque nocte tantum ad campum  
belli properat, ut cognosci non possit, et cum  
passus, per quos Catalani transituri erant venientes  
ad pugnam, custodirentur de industria  
gallica, dictus Petrus de Aragonia numquam custodum  
passum voce subsistens interroganti, quis  
esset aut se de convenientibus ad locum, ut venditorem  
equorum et equos ducentem, ut distrahat  
ficto mendacio, configebat. Sicque sagacitatibus  
peruenit usque ad locum pugnae incognitus et  
illaesus. Postquam vero Petrus de Aragonia loco  
applicuit, praemature videlicet ante diem statuti[Page 385]

certaminis, misit Burdegalam pro bajulo

regis Angliae, quem cognoverat alias, et plures honorarat, facitque sibi dici, quod quidam miles amicus suus ad locum futurae pugnae venerat, et videre volens affectabat situm et dispositionem castrorum campi videre, de quibus audiverat miranda referri. Bajulus autem venientis militis circumscriptiones exquirens et exquisitas corde recolens, pro eo maxime quod idem miles ipsum noctis tempore jam confidenter et cum tantae celeritatis instantia postulabat, eum praesumpsit esse qui fuerat; rigentibus membris solus ad locum pugnae se dirigit, et dictum Petrum juxta novam portam, per quam propugnaturi debebant in agonem prodire, silentiosum invenit. Assurgens ergo Petrus venienti bajulo salutationis primo dat verba, summatisque capit is coperturis ipsum verbis praevenit, dicens: "Cognoscis me?" Bajulus autem tum ex presumptionibus discretionis suae praehabitis, tum ex sono vocis cognovit, quod ille erat, quem esse credebat; propter quod illico admirative quasi verba praecipitat. "Heu", inquit, "minus prudens, ad quid venisti, et qualiter potuisti per tot Gallicorum excubias et hostium tuorum insidias huc pervenire illesus? Certe Gallicorum infinitus numerus in crastinum est adventurus Burdegalam, qui si te taliter pervenisce cognoverit, de nece tua, quidni, plusquam de vita illico cogitabit, imo de repente facient lacerari. Tolle igitur moras, et propere hic abscedas, nec repetas celata vestigia, sed per viam aliam revertas. Es ne tu adeo stolidus, quod intendas animo hic decertare cum Gallicis? forsitan haec est audaciae temeritas, ut in Franciae regno confidentiose velis te et tuos in fortia ponere Gallicorum? Credis ne a Gallicis quidquam veniae promereri, si te pugnando taliter regi Karolo praevalere contingat? profecto, si venias, vinceris, et si perdes, bellum procul dubio non evades, sed exterminaberis in aeternum: non enim opera contra Gallicos attentasti, per quae ab eis debebas confoveri". Ad haec Petrus sub breviloquio se excusat in omnibus, et occulti adventus causam aperit, petitque sibi statim reserati portam campi certaminis, et ibi protestatione praemissa, ut absentiae suae causam exprimat, et se suosque de futuro bello valeat excusare; sicque in medium campum cum bajulo perveniens armatus militaribus armaturis, hac, si tunc deberet ingredi ad duellum, agilis de sonipede prosilit, ac summota casside, parem sistens, suam protestationem emisit, caussas metus exprimens, propter quas cum rege Carolo concertare metu conventurae ad pugnam multitudinis Gallicorum, asserit, sicut firmaverat, se non posset. Post emissam vero protestationem dictus Petrus circuit loci latera, et revolvit stationes, et spectacula cuncta prospectat, dicitque bajulo: "Dic, sodes, quorum eminentiores sunt sedes, quas cerno, quibusve sunt eae humiliores adscriptae, aut quae nobis sunt, et nostris militibus[Page 386]

deputatae? singulariter precor enuclea, et Gallicorum circa nos artes edissere". Postquam igitur cum bajulo recensuit universa, cum jam astris fugientibus oriretur Lucifer, artem arte deludens, commeato bajulo, sublato ulterioris morae dispendio retrocessit.

CAP. XI BIS

Rex Franciae et rex Carolus Burdegalam veniunt, postea cum suis discedunt. Post haec rex Franciae numerosa militia comitatus, et rex Carolus cum eodem circa tempus limitatum ad pugnam Burdegalam applicant, ignorantes adhuc Petri versutias, nihilque

de protestatione, vel adventu quomodolibet  
praesumentes. Postquam autem res deducta est  
in regum audientiam per balium, qui haec audiebant,  
versutiam Petri, aut suorum tum potius  
mirabantur industriam, nec credebant suorum  
cogitatum artem alicujus artis ingenio posse  
falli, dicente apostolo Petro: Conscientia laesa  
praesumit, quam sciverit nostrae mentis conceptus  
ordiri. Demum illusi, et spe voti frustrati,  
tamquam ii, qui telas araneas texuerant,  
die termini veniunt reges ad loca certaminis;  
rex vero Karolus cum centum suis electis  
ad pugnam, galea cristata deposita, stetit in  
medio spatii, expectans per meridiem, et plusquam  
etiam debuit expectare; sed, nemine in  
agonis loco ex parte altera comparente, turbatus  
campo discedit, et militum gallicorum soluta  
congerie, reges et alii quasi de tanta deceptione  
confusi, partes repetunt gallicanas.

Jurato post haec illuso certamine, una partium  
pompose magnificentiam sua possibilatis  
agonis in campo palavit, altera vero propter  
Gallicorum metum in eodem loco se clandestine  
praesentante. Petrus Aragonum jam tutus in propriis,  
qualiter a rege Franciae, indicente publice  
contra eum guerram, et bellum movente,  
ac copiosum exercitum congregare volente, valeat  
se tueri, animum ingenti cura sollicitat;  
cum hostibus tamen in regno denuo pugnat absens  
et inibi cum Galicis sine praesentia sua  
bello decertat, et quem locis diversitas ab inimicis  
sejungit, quotidianae suorum insidiae praesentem  
exhibit hostibus bellatorem.

Rex Karolus in Provinciam rediens, contractis  
mutuis, parat classem ingentem, ut, cedente  
hyeme, tempore veris regnum petat cum multitudine  
galearum, ibique cum extolio principis  
congregato Neapoli, et cum vassellis innumeris,  
quos tanta portus Brundisii statio conservabat,  
passagium contra Siculos immensa classium  
gentis infinitate praepotens exequatur.  
[Page 387]

## Cap. XII

Princeps Neapolim petit.  
Rege adhuc Carolo in Provincia, et Petro in  
Aragoniam commorantibus, cum jam apud Nicoteram  
frustra et inaniter principis fatigarentur  
exercitus, princeps ipse, Nicotera dimissa, et  
comite Atrebatensi in partibus illis capitaneo  
substituto, venit versus Neapolim. Sed, antequam  
perveniat Neapolim, parlamentum apud Melfiam  
pro regni libertatibus celebrat generale, ubi  
postquam cum legato Papae et regniculis de  
ipsius libertatibus contractavit, demum quaedam  
capitula libertates hujusmodi, quas videbantur  
regnicolae flagitare, et quas quondam tempore  
felicis regis Guillelmi servatas in regno fuisse  
rememorant, ad Sedem apostolicam destinavit,  
ut eadem Sedes, quae est universalis mater et domina,  
in qua precipue plenum obtainens dominatum,  
illas libertates interpretetur, declareret, corrigat,  
addat, vel minuat, et eas declaratas remittat,  
quibus regniculas vult gaudere. Sed nuntiis  
principis, et illorum de regno propterea venientibus  
ad Sedem praedictam, nulla in praedictis  
successit interpretatio, nec fuit aliqua declaratio  
subsecuta, sed omnino remansit suspensum  
negotium hujusmodi libertatum, ad quas  
videbatur principis ejusdem animus aspirare, ut  
in sua posset fidelitate regnicolas confovere.

## CAP. XIII

Catalani et Messanenses invadunt regnum.  
Interea Catalani et Messani, ad instantiam  
quorumdam exulum de Scalea, quod est castrum  
utile iuxta mare, qui propter caussam homicidii

a terra ipsa fuerant relegati, ad eamdem terram  
tum Almogaverorum quantitatem transmittunt,  
qui conductu exulum praedictorum, volente una  
partium terrae, occupant illico terram ipsam,  
fugientibus ipsorum exulum inimicis. Ibi ergo  
cum Almogaveri partes illas Vallis Cratis, et  
Basilicatae, quibus est vicina Scalea coepissent  
discurrere ac hostili pede calcare, justitiarius  
Vallis Cratis contra terram et occupatores  
praefatos se direxit cum multis hominibus  
de contrata. Sed dum idem iustitiarius quemdam  
fortem passum cum sua comitiva fatue pertransiret,  
ubi pedites praevalebant equitibus, Almogaveri  
de Scalea, qui semper loca petunt arcta  
quae miles equitare non possit, irruentes in eum,  
expugnaverunt ipsum propter artitudinem loci,  
et nonnullos de sui familiaribus occiderunt,  
fugantes et obsidentes eum in quodam manerio episcopi  
cassanensis.

Ex tunc sane veniente post diem e Sicilia in  
Scaleam comite Friderico Musca cum paucis equitibus,  
et pluribus pejoribus Almogaveris, adeo [Page 388]

Basilicatam potissime inceperunt repentinis discursibus  
molestare, quod per vim et metum,  
nec minus dolose, et arte, nonnulla illarum partium  
castra ceperunt, occupatorum bona convertentes  
in praedam. Civitatem ergo S. Marci  
de Valle Cratis, incolarum paucitate contempta,  
inibi omnibus spoliarunt, et episcopum civitatis  
ejusdem, ac fere omnes incolas fugaverunt, et  
ecclesia Fratrum minorum pro ipsorum receptaculo  
hominum custodia munierunt. His insolenter  
discurrentibus, nobilis vir Rizzardus de Claromonte,  
qui terras suae baroniae habet in Basilicata,  
viriliter coepit resistere, et eorum discursibus  
obviare, ac decurtare passus eorum nocturnos;  
sed non potuit sibi adeo praecavere,  
quin personarum et rerum suarum ab eis damna  
reciperet graviora, non obstante nobilium illius  
contratae resistantia, et oppositione multorum.  
Non obstante dictorum resistantia et oppositione  
nobilium tota illa contrata, quae situa  
per colles, ac nemoribus antiquis opaca, Almogaverorum  
contagione conficitur, et maxime  
nocturnis insidiis lacescit.

#### CAP. XIV

Romae tumultuatur.  
Dum haec aguntur, Catalani et Siculi semper  
cogitant arte vel insidiis aut dolis terras  
principi fideles affligere, ac repentinis et inopinandis  
insultibus perturbare. Populus romanus  
occasione grassiae, seu viciualium caristiae  
versus Capitolium contra Goffredum de Dracone  
vicarium regis in urbe, qui post Philippum  
de Lavena fuerat per principem ad urbis praedictae  
regimen destinatus, seditione facta, impetuose  
procedunt, et in plano Capitolii quadam  
die sabbati congregati, dure Capitolium  
repentinis insultibus pertingentes, ac finaliter occupantes,  
quemdam Joannem Cintii Malebranche  
militem, civem romanum, in eorum capitaneum  
erexerunt, et vicarium regis praedictum  
per menses duos cum suis officialibus in  
Capitolio, quasi captivum, curialiter tum absque  
injuria et arctatione aliqua tenuerunt. Verum  
dominus Papa, cui de negotiis regis Karoli  
et filiorum videtur spiritualis cura tamquam  
in propriis imminere, dubitans ne populus  
romanus praedictus, cui sicut et aliis populis  
seditione commotis ..... aliquem  
dominum evocarent, domini Henrici ad haec  
facta proterva rememorans, quem in simili seditione  
populus ad urbis ejusdem regimen postularat,  
sollicite studuit tantae factionis

obviare principiis, ac ne rebellionis hujusmodi contagio  
suo morbus incaleat, medicinae remedium  
adhibere. Sicque post trium cardinalium destinationem  
ad urbem, praeter varios praecedentes  
tractatus, populo seditioso pacato, hanc ventum  
est ad concordiam: ut duo de civibus urbis per[Page 389]

dominum Papam senatores fiant, capitaneo  
praedicto nihilominus usque ad annum in administratione  
officii solummodo ad opus grassiae  
remanente, quem senatoris nomen pro Papa tantum,  
non pro rege Karolo communiter habere  
volebant, quia post resumptum senatus officium  
tres vicarios successive, secundum primo, et tertium  
secundo pejorem, ad ipsius populi regimen  
destinavit, per quos urbis fere potentia et dignitas  
est eversa, cum fuerint partiales, et justitiae  
stateram nequaquam manibus appendentes,  
male terram rexerint, et multa ipsius urbis  
discrimina in eorum regiminibus procurarint.

#### CAP. XV

De navalii pugna ad Neapolim. Princeps captivus  
factus est.

Postmodum Princeps venit, Apulia dimissa,  
Neapolim, et triginta galeas per Principatum et  
Terram Laboris jubet armari, et apud Neapolim  
convenire. Interea Catalani sane et Siculi armant  
Messanae XI galeas, et ad vexandum terras  
Principatus et Terrae Laboris, quae sub rege  
Karolo et Principis fidelitate vivebant, unanimiter  
accinguntur; et ad haec potissime intendentes,  
discurrent remis trahentibus omnia lictora,  
quaecumque sunt usque Neapolim, et duas  
etiam parvas insulas, quae sunt in nomine Principatus  
et Terrae Laboris, videlicet Caprariam,  
et Isclam, quae est potissime vino graeco faecunda,  
suis hostibus invisis vegetationibus non dimitunt;  
terras debiles juxta littora ipsa sitas  
gravibus jacturis afficiunt, et quos tam cito bellorum  
insultibus habere diffidunt, pecunia extracta  
revendunt. Homines enim ipsarum terrarum  
metu vinearum, et arborum, ac aliarum  
rerum, quas habent extra terras in campis,  
quaslibet eis pecuniarum quantitates ultronei  
exhibebant, ne ipsorum possessio nautarum manu  
improba vastaretur. Venit ergo extolium Syculorum,  
post visitatas ordine suo marinaram  
terras, ad Bajas sub praesidatu Rogerii de Laurea  
ipsius extolii admirati, duasque galeas Principis,  
de Gajeta remigantes Neapolim, juncto  
nomine primordialiter apprehendit.  
Princeps autem, auditio Neapoli, quod Syculorum  
armata illuc superbe tendebat, tanta non  
passus opprobria, tum XXVIII galeas paraverat,  
praeter illas duas, quas manus absorbuerat  
catalana, de quibus XX erant armatae, suprastantibus  
de Terra Laboris et Principatus.  
Verum, quia boni confortatoris caput dolorem  
non sentit in altero, multi suasores, qui ex animositate  
minus tum provide loquebantur, aut  
ut non crederentur sua pusillanimitate pavere,  
volentes videri apud Principem, ac cupientes credi,  
quod parati sunt in omnem casum ire pro  
Principe, sugerunt, et suadent, quod tota militia  
Principis galeas ascendat et marino certamine[Page 390]

demicet cum ..... de prope inimicis.

Ascendent igitur de Neapoli et de Salerno  
nonnulli milites, et servientes armigeri, et nobiles  
cum Gallicis et Latinis galeas in neapolitano  
portu remis armatas et nautis; cum ipsis  
quoque multitudo gallicorum procerum, et aliorum  
Principi assistentium, quibus in mari bellorum  
exercitium nullum erat, sed neque illos  
experientia fecerat bellatores; et versus hostes,

qui, Bajaram statione relictæ, lictora Criptæ  
maris Virgilii quondam arte cavatae in montibus  
navigabant, remorum impulsibus proras vertunt.  
Quidam autem proceres gallici, et comes  
etiam Acerrarum, quem Princeps novae dilectionis  
fovebat amplexu, postquam jam galeas versus  
hostes intuerentur esse directitias, ajunt PrinPrincipi  
forsitan bona fide: "Domine, tutum est, quod  
vos personaliter vestram debeat intrare galeam,  
non tantum quod ipsa galea vestra decertet,  
sed ut gentem vestram animare possitis;  
gens quippe nostra, si personam vestram  
cum eis marino discrimine expositam fore con  
spexerint, sibique propinquam, cum majori  
pugnabunt animo, et erubescere talia facere,  
quae ad utilitatem personæ valeat computare.  
Ascendamus ergo, domine, et nos omnes vobiscum,  
nec vos hostes timere potestis; nam  
habetis terram, et nunquam possunt esse circa  
galeam vestram hostium tot galeæ, quin eis invitîs,  
et remigantibus, et vos et nos, cum voluerimus,  
redire possimus terram, etsi omnis galeæ  
adversæ vestram galeam proris obsedissent  
in girum; praeterea, domine, solum nomen  
personæ vestrae perterrebit valide inimicos,  
nostrosque plurimum confortabit". Statis igitur  
Princeps electos milites, qui cum eo erant,  
in unum glomerat, statimque concurret cum sociis  
militibus ad galeam, furiata mente disponens  
se in hostium agmen injicere peritum; subvenit  
enim pulchrum fore sub armis extingui.  
Cum autem legatus Papæ praedictus milites  
gallicos cum Principe consortes cerneret audere  
in marina praelia, quod ignorant ipsorum  
animos ardere ad bella, quos forsitan furor praecipitabat  
et ira, vidi Principem, juvenilibus armis  
assumptis, quamquam futuri fati nescius,  
defluentibus tamen ad ora lacrimis, ait: "O juvenis  
sine prudentia paterna relicte, frustra est  
tibi cupido, ut audeas in haec bella: quid ergo  
furis, aut quis dolor excitat indomitas tuas  
iras hodie? Tali auxilio non est opus, instans  
enim tempus nequaquam defensoribus istis eget;  
etiamsi rex pater tuus adesset, in mari  
cum hostibus non pugnaret. Quo ergo ruis,  
quae mens tam dira miserrime te his cingi  
armis impellit? Praecipimus ad haec tibi sub  
anathematis poena, ut stes hic, nilque horum  
attentes: nam esto, quod casu adverso tuos  
omnes praesentis belli fatis amittas, te tantum  
superstite, multa bona fierint poterunt, quae  
placebunt, et tu alia poteris audere majora".  
Princeps autem Gallicorum, pesti futurae devotus,[Page 391]

nequit expleri mente, cuius inquam animo  
ex monitione legati furor additur, et voluntas  
in praelia inardescit, sed nec legati praecepta  
plangentis exaudivit. Cum autem nihil sit rationis  
in armis, nec mora, Princeps infelix prope  
castrum, cui ibi principissa et filii morabantur,  
altam galeae puppem furibundus ascendit,  
huic se addunt socios, et ejus lateri glomerantur  
Ranoldus, Galardus, Standardus, comes  
Acerrarum, et frater J. de Lagonessa, qui admirati  
vicibus fungebatur, et tota electa militia  
Gallicorum, quam pater in ejus dimiserat comitivam.  
Igitur in distantia IV leucarum a terra, jungunt  
se galeae contrariae, aliae aliarum proris  
percutiunt latera, et uteros impellendo; sed  
heu, quia numero prævalet ars, et experientia  
semper vincit, regnicolæ sane, relictis Gallicorum  
galeis, abscedunt bello, et suorum in fauibus  
hostium caterva dimissa, vertunt proras  
ad terram. Galici post haec adversariis caeco  
marte resistunt: casus enim nescia stat Gallicorum

acies, coruscantibus stricta mucronibus,  
necem subire parata cogitans, quod, si victi fuerint,  
nulla sit eis salus, nullaque spes adveniat  
sperandae salutis. Consequuntur ergo Principis  
galeam soli Gallici, contra quos statim ex adverso  
saxa volant et lanceae, ac sagittae, vasa  
Siculorum igne plena pennifero emituntur in  
Gallicos, franguntur hinc inde remi, et laxantur  
compages laterum galearum advertuntur  
prorae, ac galeae Gallicorum frequenter exhibent  
undis latus. Nullum genus telorum cessat  
interea. Sed, sicut strident silvae confligentibus  
ventis adversis, aeris facto turbine, sic arma  
mutuis ictibus crepitant, ac adeo armorum tinnitus,  
et maris sonitus, remorum spumantibus  
impulsibus, vocumque clamores feriunt aera,  
quod dubius omnium sonus aspicientium de  
terra plurimum fatigabat auditum, et coruscantes  
mucrones illorum disaggregative reverberant.  
Catalani, ad haec, et Siculi, qui jam non  
minus dolis, quam armis vincere didicerant,  
ut, facti jam victores, bellum vincendo celeriter  
valeant expedire, cum non possent quantumcumque  
plures numero gallicum exterminare  
vigorem consideratione mortis, ignem accensum,  
vasa figuli, solpilas, et caccabos terreos plenos  
sebo, et saponis artificeata mistura, jactabant  
ad superiores Gallicorum tabulas galearum, ad  
hoc videlicet, ut, pedes gallici, talia inexperti  
certamina, lapsu liquoris hujusmodi lubrice  
laberentur, nec ad defensionem possent stare  
Gallici, si defluentibus pedibus aut intus  
ruerent, vel undas fluenter in nigras.....  
altera quidem figulorum vasa jactabant calce  
pulverulenta completa, quam unda nulla tetigerat,  
ut Gallicorum visus calcis hujusmodi [Page 392]

volatili pulvere tenebrescerent, ne viderent.  
Sed, quantumcumque Catalani et Syculi numero  
et arte praevaleant, multorumque corpora dejecta  
ferro pontus excipiat, non tantum soli Gallici  
moriuntur, frequenter enim vicitis in praecordia  
redit virtus, qua concidunt et victores.  
Verum ex parte adversa quamplures galeae solam  
galeam Principis postulabant, propter quod  
multi etiam telis oppositis obsiderunt, et taliter  
nisi sunt expugnare. A: A: Princeps, nec  
labentem in casu tuo magna praeter morem gallicum  
pietas te protexit, omnes enim jam galeae  
hostium te circumdant, te solum expetiunt,  
qui jam tenent alios compraehensos.  
Occupatur igitur prora galeae Principis impugnatione  
durissima, et hostes cum Gallicis receptis,  
et glomeratis in puppe, manuali pugna  
concertant; quotquot manus R. Galiardi attingere  
poterat, uno in mare demergebat impulsu, sicque  
gladius suus aliquem contingebat, non expediebat  
reiterare ictum in hominem vulneratum,  
unicus enim unius ictus unius sufficiebat in necem.  
Interdum autem cum puppis galeae Principis,  
ubi cum eo tot electi socii se reduxerant, Catalanorum  
expugnari non posset insultibus, pro  
eo quod in eo plures erant strenui Gallici viribus  
et animo sic potentes, quod eorum quilibet, dummodo  
si maris usus et experientia suffecisset, ad  
domandum et ad subangendum singulos singulariter  
unius galeae viros, more nautarum, totamque  
catervam sufficere poterat, et debebat, duo  
ex Catalanis, qui flatum didicerant, velut pisces,  
diu sine respiratione tenere sub aquis, ad instar  
mergorum per emergentium se in mare, galeam  
Principis student sub salo per latera terebrare,  
alii vero per portam in fundum galeae descendunt,  
crebrisque bipennibus instant tabulas medias  
certatim eruere. Evulsis igitur tabulis, et

utero terebrato, dum aquae moles, qua galea  
Principis continuus replebatur, galeam ipsam traheret  
in profundum, viderentque prudentes milites  
gallici proram et puppem deprimi, ac pontus  
plus solito proprius propriari, R. Galiardus  
clamat ad Principem: "Domine, jam ecce  
morimur indefensi, animus aut vires vestrae  
de cetero parum valent, nam maris mergimur  
in profundum. Tolerabilius est ergo, ut nos manus  
hostium apprehendat, qui vos vivos forsitan  
conservabunt, quam vos pontus habeat  
ac demergat. Petamus igitur in casu visibilis  
mortis veniam, cui refragari non postest; hii  
ideo nos mergi procurant, quia nos contra eos  
jam viriliter defensamus, nobis ergo bello cadentibus,  
et non resistentibus eis, mortis horribilis  
veniam indulgebunt". Clamat ex adverso  
ad hostes: "Misericordia, nam quod petitis, hic  
habetis, hic est Princeps, hic est flos militiae  
gallicae, jam totius guerrae votum, ut videlicet  
Gallicis praevaleatis, ac regem habeatis,[Page 393]

pro vobis prospere consumatum". Mitescunt ulti  
igitur Catalani, et potentibus veniam donant  
vitam, complexantur votive Principem, et electos  
milites gallicos reddentes arma constringunt;  
belloque finito, galeae cum persona Principis  
et electis suis remanent in mari captae per hostes,  
fugientibus reliquis, quarum regnicolae duces  
erant.  
Cumque uxor Principis, quae scopulum castri  
conscendens omnem in pelago petebat late  
perspectum, et legatus etiam juxta castrum  
ipsum prope littus orationibus insidens, pro salute  
Principis et suorum duplices frequenter ad  
sidera palmas tendens, cernunt classem Principis  
aequore toto disjectam, castrum interius impletur  
gemitu, ac tumultu misero commiscetur, ac  
aedes inibi concavae in altis scopolis saxatis  
effossae femineis plangoribus resonant, et mestuosis  
ululatibus reddunt sonos. Mulieres enim  
quae Principissam comitabantur in castro, circumstantes,  
suas evellunt unguibus facies, et  
contundunt pectora crebris pugnis. Legatus interea  
captionem Principis, et Gallicorum exterminium  
mestuose conqueritur, et lucubriter  
lamentatur. Sed usque ad noctem dum Neapolitani  
Latini et Gallici longis sermonibus requiruntur  
admixti, Principissa et legatus inter  
spem et metum de Principis statu dubii,  
an eum in manibus hostium vivere credant,  
an extrema crudeliter fore passum, agique sub  
aquis, dubia mente revolvunt cum lacrimis et  
dolore.

#### CAP. XVI

PRINCIPISSA RESPICIT CONTINUE MARE.  
Principissa autem non faciem toto die illo  
divertit ab aequore, ad locum aspiciens maxime,  
ubi classibus fuerat dimicatum, et perspectans  
anxie, si quem in mare posset, aut aliquos  
remigantes ad terram, aut arma Principis  
in aliqua celsarum puppium recognoscere; sed,  
postquam jam certa redditum est de Principis captione,  
tristis valde, ac lacrimis stillantibus ora  
diffusa, casum conjugis lamentatur, ad Deum  
sua lamenta dirigens in haec verba: "O qui regis  
genus humanum aeternis imperiis et creaturis  
caelestibus dominaris, quique terres omnem  
potentiam, superbos deprimis, et humiles  
confoves; quid maritus meus committere in tua  
numina potuit, ut eum tam cito tantae infelicitatis  
infortunium apprehendat? Ecce nunc gentem  
gallicam, tot casibus infelicibus hactenus  
male actam, eadem fortuna prosequitur, imo  
ultimum infortunium jam confundit".

Dum haec igitur secum voce lugubri maestuosis  
repetebat suspiris, ecce duae galeae triumphantium  
hostium cum litteris Principis ad castrum;[Page 394]

quae transmissae litteras hujusmodi Principissae  
praesentabant, in quibus mandabatur,  
quod filia quandam Manfredi, Beatrix nomine,  
quam XX annis arctitudo regii carceris educarat,  
ipsarum litterarum petitionibus debeat assignari.  
Petunt ergo domicellam forma respectabili  
et facie amoena decoram illico sibi tradi,  
quam Princeps, uti pretendebat, pro custodia sui  
corporis postulabat; alioquin comminati sunt  
nuntii, quod nisi castellanus et principissa statim  
dictam domicellam eis liberaliter, ut mandatur,  
assignent, immediate post eorum a castro discessum  
Principem capite mutilabunt. Redditur tandem  
eis dicta Beatrix et nomine beata, que, post  
tanti squalorem carceris, post desperationem omnis  
fortunae secundae, votivae libertati donatur,  
et restituitur pristinae libertati. Catalani post  
haec, tam carissima capta praeda tantorum et  
tot procerum gallicorum, ac de regno nobilium,  
redeunt Messanam cum laetitiae jubilo, cum tropheo  
clarissimo, et triumpho glorifico fortis victoriae  
laureati, velut illi, quibus euntibus ad  
venandum geminata praeter cogitatum praeda  
in captura forte concurrit, et illam demum referunt,  
quam numquam capere cogitarunt. applicantibus  
ergo eis quietis ad portum, juventus  
messanensis utriusque generis studio visendi  
Principem, et Gallicos, quasi prodigia, ruit undique  
ad littora circumfusa, et dum nonnulli,  
prout quilibet potentior erat in populo, captis  
nitebant illudere, communis et omnium vox  
clamosa erat: " Qui nos credebant sola furia absorbere,  
modo in nostra sunt potestate. En qui  
bellum cum gente nostra voluerunt marini certaminis  
attentare!" Alius clamat: "Unde eos quis  
docuit in mari Gallicos decertare? nonne omnes  
fuerunt dementes, et stolidi; nonne Principis  
assumpsit caput juvenilis insanis, quando  
cogitavit, se belli navalis discriminibus immiscere?"  
Alii clamabant: "Cum quibus pugnaverunt  
stolidi? cum nautis, cum Catalanis, cum  
nudis, cum excalciatis, et cum iis, quibus modica  
est suppellex, parum aut nihil de vita curantibus  
et de morte!" Hiis verbis Messanenses  
captis in facie Principis illudebant.  
Princeps autem in medio multitudinis Gallicorum  
habitum exutus existens;..... eidem  
Petrus Aragonum indumenta catalana concesserat,  
circumspicit rigens agmina vassallorum,  
intuetur hostes debaccatos tanta Victoria, et tabescit.  
Post haec uxor praedicti principis victores  
honorat, et de hiis, quae strenui egerant, grates  
refert, dicens: "Estis fideles, qui nobis desideratam  
nostram revehitis, ut patris nostri regis  
Manfredi, bonae memoriae, ipsius posteritatis  
stipes et radix aeternaliter conservetur. Quae  
vobis digna praemia de tanta gratitudine persolvemus?  
et ubi justa retributio meriti, ubi  
compensatio digna mercedis? numquam beneficii  
obliviscatur accepti se memoriter teneat[Page 395]

quidquid ad praesens pro tot ausibus meruistis".  
Post haec subito infanda vox populi messanensis  
aera tumultuose reverberat: "Moriatur Princeps,  
et Gallici". Princeps autem ad eos, qui  
circumstant, ingemens ait: "A me protinus inoffensi,  
quid de persona hac immeritas penes  
vos poenas cum cruento depositis? Non enim  
mea opera vos laeserunt, sed studia mea semper  
audistis ad pacem tendere, non ad guerram,  
et ad vestrorum gravaminum allevationem

directa; nihil unquam grave factum vobis audivi,  
quod mihi plurimum displiceret". Hoc ergo  
Principis gemitu compressi sunt animi singulorum  
adstantium, statimque impetus omnis cessat,  
et ajunt sibi: "Absit, domine Princeps, quod  
persona vestra taliter moriatur; pro certo non  
sic moriemini: deponite ergo metum, custodimini  
velut hostis". Deposita igitur formidine, securus  
in anima cum victoribus hostibus Princeps  
fatur.

In die autem captionis infandae Principis,  
fuit Neapoli ..... quaedam hospitia Gallicorum  
rimantur exacte, ac eorum si qua possunt  
invenire diripiunt spolia, et aliquos interimunt,  
imo infinitos, Gallicos sane, quos hactenus  
tela nulla movebant, nec terrebant hostes  
aliqui, quantumvis ex adverso forent numero  
congregati, quique nulla dudum hostilitatis arma  
consueverant formidare, nunc aura sola perterret,  
ac suspensos et timentes excitat omnis sonus,  
sicque perterriti extra terram se glomerant  
equites forte quingenti, nescientes quid agant,  
aut quo tendant, sive fugiant extra regnum, aut  
in Calabriam ad comitem Atrabatensem, agentem  
apud castrum Montis Leonis, diffugio continuato  
procedunt. Legatus ad haec, et nobiles  
de Neapoli, mittunt ad Gallicos timescentes,  
ut ad terram redeant, ubi eos asserunt quemque  
timere non posse, maxime si omnes se ducant  
in dominibus circum castrum Capuanae, ubi, sicut  
ajunt, si totam universitatem terrae contra  
eos contigerit congregari, quidquam non poterant  
metuere: significant etiam dictis Gallicis  
legatus, et nobiles memorati, quod etiam in iis  
concitationibus populi non oporteret eos timentium  
assumere animos, vel pavere, quia contra  
hujusmodi populum stolidum concitatum omnes  
praedicti nobiles cum ipsis Gallicis volunt esse.

CAP. XVII

REX CAROLUS VENIT CAJETAM, CAPTO  
PRINCIPE.

Verum ad haec Catalanis in littoribus Principatus  
de tam gloria successione grassantibus,  
rex Carolus, captionis filialis ignarus,  
cum XLII vassellis decenter armatis de Provincia  
rediens Gajetam applicuit: ibi sane cum jam [Page 396]

hujusmodi captio fama foret alipede promulgata,  
civitas ipsa Gajetae, quae occasione quorumdam  
suorum civium exulum erat seditionae rebellioni  
vicina, rege praedicto non sine omnium  
stupore ac admiratione multorum subito applicante,  
statim excogitatae infidelitatis adducto  
rancore fragilis sui status ambiguitate fidei robur  
assumpsit, ubi primo regi dolendo captio  
filialis innotuit. Postquam ergo vox tam maesta  
regias aures inibi percussit, illico rex obstupuit,  
et per senilia ossa gelidus tremor irrepit,  
certificatus ..... debellatus  
ab hostibus ducebatur, solus se reducit in  
partem, similis factus laetargicis, quos subita  
sensualitate membris tabescentibus destituta..  
..... Rex in agonia cogitationum alternarum  
existens, prolixius cogitabat. Subveniebat  
enim sibi utile posse fore hostium vestigia  
insequi usque Messanam, donec aut filium a  
manibus inimicorum victor educeret, aut pari  
sorte insontis debellationem filii coaequaret. Sed  
cum jam finaliter sibi videretur, quod iter continuet  
usque Neapolim, ibique de passagio contra  
Syculos ordinet generali, quoddam in se ipso  
palliatum solamen admittens, et absumptam  
ultra consolationem spiritibus laesis ira pendens,  
quamquam omnis in Principe cari stet cura  
parentis, facta tamen Principis tamquam juvenis

regia voce detestans, non plus de ipsius captione,  
quam de unius ammissione stolii se curare  
dicebat: nihilominus tum de duobus liberis  
in vita sua sic perditis, altero quondam naturaliter  
obeunte, altero de ignoto sub hostili potestate  
traducto, et ad locum, quem nescit, in altitudinem  
deportato, compresso vocis murmur,  
lamentatur, ac frequenter graves ab imo  
pectore luctus educens, ultro flens visus, et auditus  
exprimere maestas voces, secum tacitus repetebat:  
CAP.

XVIII

### LAMENTATIO REGIS CAROLI.

"O Rex magne, rex regum, et Dominus dominantium,  
quem das de tot laboribus nobis  
finem? Hiccine pietatis est honor? haeccine divinitatis  
praemiatione, ut labores innumeros tali  
compensatione concludas? sic nos in sceptris  
reponis? sic concedisne nostrae dignitatis fascibus  
reputiri?" Sub iis laborans lamentis, venit  
Neapolim mestuosus, de foecunda tantum  
Principis sobole ad statum suae posterioritatis  
quodam adhibito consolationis moderamine contentando,  
statim ergo urgenti sollicitudine ad  
passagium Siciliae ardenter aspirans, dispositus  
personaliter girando Syciliam Brunduxium navigare,  
ut ibi secum alio suo majori navigio  
jungeret, ac proinde in Syciliam transfretaret.  
Sed tandem usus consilio saniori, LXIV galeas  
de Neapoli sub duobus ammiratis, uno provinciali,[Page 397]

et altero latino, jubet Siciliam remigando  
girari, ipseque per terram propere pergit  
Brunduxium, et extolium vascellorum, quod  
ibi erat, facit otius et diligenter armari, disponens,  
quod in plagia capiti Bruzani, seu  
alibi per Calabriam ex parte maris Adriani,  
utrumque simul extolium jungeretur.  
Post haec rex ipse, dimisso Brunduxio, et  
vascellis ad iter expositis, versus civitatem Reginam,  
quam hostibus quondam sponte dimiserat,  
per terram cum exercitu copioso procedit,  
pro eo quod civitas, mari medio, Scillae appropinquat,  
credens statim terram ipsam bello saltem  
evincere, ut in ea conveniens multitudo recolligeretur  
exercitus, et deinde vicissim gentes,  
per totam fere Italiam auxiliatrici conventione  
collectae, possent in vascellis in Siciliam ad  
locum videlicet, ubi rex terram reciperet, liberius  
transportari.

CAP. XIX

### EXTOLIUM REGIS VADIT GIRANDO SICILIAM.

Interea extolium galearum, quod pridie excesserat  
Neapoli, circuit navigando Siciliam,  
incipiens a mari Tirreno per Barbariam, Rosam,  
et per meridionalem plagam transiens, rediit  
versus orientem ad mare Adrianum. Hoc sane  
galearum extolium navem quamdam Catalanorum  
sibi casualiter obviam occupavit, quae versus  
Pisas pleno velo navigans tendere videbatur;  
Catalanos, inquam, inventos in ea tradidit in  
consumptionem, et cibum maris, et escam piscium,  
quosdam vero Pisanos et duos Romanos  
servavit illaesos, merces seu mercimonia condens,  
et stipans galearum suarum in alvo, et navem  
terebratam per latera, in fundo dimitiens aequoris  
in abissu: post navim vero captam quamplures  
in Sicilia per littora et per plagias variis  
et damnosis jacturis afficit. Tandem post giratam  
Siciliam advenit vascellorum extolium usque  
Messanam, ibique in aditu portus, qui erat catenae  
repagulo conservatus se aliquandiu adversariis  
ostentavit.  
Deinde fatigatus longo itinere apud plagiam  
Cutronensem cum alio extolio de Brundusio veniente

se jungit, ibique victualia recentia sumit,  
ac superstantes aliquantulum conquiescunt.

CAP. XX

Rex Karolus Regium civitatem obsidet.  
Hoc est profecto finaliter ex praedictis sumtuosis  
apparatus consecutum, quod rex civitatem  
Reginam personaliter dura obsidione circumdans  
per terram, quippe durissime per mare  
convenientibus ibi suis ingentibus classibus  
habentibus CC magnorum corpora vascellorum[Page 398]

terram ipsam urgentissime angustiavit. Sane  
non est memoria, quod a tempore quo magna  
Graecia contra Trojanam civitatem classicum  
bellum transvexit, quisquam rex usquam tam  
copiosum vascellorum numerum, tantarum virium  
ingentibus compositum classibus, adunasset.  
Verum civitatem praedictam, quam Catalani  
per muros et Siculi laboriosis vigiliis defendebant,  
nullis potuit insultibus rehahere: sic  
dum quondam tenere potuit illam, noluit; cum  
autem ipsam sub quadam quondam negligentia  
parvipsam voluit postmodum rehahere, nequivit;  
sicque sumptuosis laboribus et gazzis innumeris  
effusis, frustra suo situ reliquit. Fatigatur  
ergo rex et totus exercitus ibi valde;  
multique inibi intrinsecorum missilibus in ipsis  
frequenter violentis insultibus sauciati, vitam  
cum sanguine dimiserunt; Siculi autem, qui  
quondam audito quod tantus exercitus transfretaturus  
advenerat, multa erant trepidatione  
confecti, imo quasi jam cogitaverant propterea  
regi venturo statim et praecise colla submittere;  
postquam jam cognoverunt quod rex ipse in  
vastatione civitatis Reginae converterat omnes  
vires, quas concesserat contra eos, quodque terram  
ipsam muris et situ debilem, nullis insultibus,  
nullis violentiis habere poterat, vel terrore,  
ipsius deinceps parvipendere caeperunt exhortia,  
et quod Gallicos offenderant graviter ac  
de temerariis suorum excessibus metuebant ultioria  
violentia compuniri, viribus resistendi, et  
Gallicos gravius offendendi induratis voluntatibus  
animantur.  
Postquam jam in obsidione Regina omnis fatigatus  
est absque commoditate conventus, et  
quod tota Calabria, cuius opes, ut ita loquar,  
quadam ventris voragine inattenuata remanens  
saeva fames adeo minuerat, quod totum reliquum  
tantarum gentium confluentiae, nisi de Apulia  
subveniretur ..... multitudini non valebat,  
longo temporis tractu victualibus erat exusta  
..... exercitus ad tam copiosum  
passagium requirebat ex tunc temporis, tot sumptibus  
dispendiose consumptis, passagio supersedere  
persuadet, fuit et hujus rei caussa, quae  
vota volentium transfretare invite suspendit,  
quod Princeps, sicut debuit facere, victualia fieri  
quadam lentitudine non curavit, quibus pro  
nautis maxime, cum venter nescit esse jejonus,  
indigebat plurimum regius apparatus.  
Messani ergo et Catalani cum cognovissent firmiter  
regium exercitum jam laboriose solutum,  
quodque rex Carolus in illa obsidione suum nimium  
fatigaret exercitum, tum etiam quia tantae  
multitudini diu victualia subveniri non poterant,  
anno illo non posset, instante jam autumnali tempore,  
transfretare; omnes vassellos, quos habebant  
in portu, post grandis deliberationem consilii armaverunt,  
ex eo maxime contra classes regias animum  
assumentes, quod illis diebus Petrus de Aragonia  
XV galeas armatas bellicosa gente transmiserat[Page 399]

in subsidium Siculorum, propter quod  
deliberaverunt, si navigia regis offendere aliter

non valerent, quod in ultimi caudam navigii simul  
irruerent, ac posteriores galeas congrederentur  
insultibus, et cum vascellis ultimis decertarent.  
Sicque LIV galeis in summa ad eumdem  
versus Regium contra hostes accinctis in  
portu, Rogerius de Laurea pro Petro de Aragonia  
Siciliae admiratus, nautarum, et super  
sallientium consilio convocato in platea Sancti  
Johannis Hyerosolimitani, ubi singuli qui convenerant  
conticebant, et arrestis auribus morabantur  
intenti, hoc sermone convenientium animat  
animos, vires excitat singulorum:

CAP. XXI

PARLAMENTUM ROGERII DE LAUREA.

"De duplice natione tantum sumus gentes  
unanimes hic collectae, quas nec decipi credimus;  
unus unit contra hostes, affectus par  
sollicitat, et idem animus animat in eosdem,  
et quamquam non sit eadem lingua nostra, vel  
natio, negotium, quod agimus, est commune,  
nec impariter tangens quemquam. Nos quidem,  
domini Catalani, pro domina nostra justitia vindicanda,  
vos autem Siculi, pro libertate vestra  
defendenda certamus. Ego etsi, sicut vos  
scitis, a tempore bonae memoriae regis nostri  
in Aragonia fueram educatus, et Catalanorum  
moribus enutritus, sum tamen regnicola natione,  
pari affectione vobiscum regni volens  
ingenuitatis antiquae compendia promovere.  
Gentes autem ad unum simul in multitudine  
tanta congestae, quas non minus discorditer  
sejungit animus et voluntas, quam pluralis  
differentia nationis, sicut sunt pluralium nationum,  
ita contrariorum propositorum et alternorum  
votorum, nec dubium, creduntur.  
Hoc ergo pro eo disserere nobiscum solerti vestigatione  
conemur, et alternativo suscitemus  
sermone, quae sunt istae gentes adversae ac  
de eis formidare ..... possimus. Inter has  
quidem gentes sunt Galli, qui praesunt aliis,  
quibus nulla inest ars marinii certaminis, sed  
nec ..... Post hos Provinciales, qui etsi artem  
maris et usum diurnitate temporis habeant,  
eorum tamen vires scimus et animos,  
qui eos pridie apud Maltam, et dudum in locis  
pluribus initio bello probavimus. Sunt etiam  
inter hos regnicolae, qui exercitum Gallicorum  
sequuntur inviti, imo tracti et coacti ut  
plurimum contra nos veniunt, nec, ut credo,  
vobiscum voluntarie pugnabunt; eorum enim  
animus unus, et idem, quos offensionis gallicae  
gladius pertransivit. Reliqui autem aut  
Tusci sunt, vel Lombardi, quos civitates Italiae  
sub stipendiis ad tempus datis ad preces  
Principis destinarunt. Inter hos autem si quis  
est, cui mater ipsa discretio suffragatur, nec[Page 400]

nos verisimiliter, nec alios libenter offendit;  
sciunt enim Itali, quod gentem latinam offensare  
non quaerimus, sed nec Latinos, quos  
dum victrices manus nostrae tetro bello maris  
simul cum Gallicis evicerunt, et ceperunt  
triumphabiliter, sicut scitis, detinere voluimus  
captos, imo venia data dimisimus liberos.  
Alii vero, si qui sunt, parum aut nihil sub armis  
in mari contra nos esse potuerunt valituri.  
Quid ergo dicitis? Ego quidem protinus disposui  
statim in galeas regis Caroli irruere, si  
velitis".

CAP. XXII

Siculi et Catalani Calabriam petunt in regem  
Carolum pugnaturi.  
Exoritur ergo tumultuosus congregatae multitudinis  
clamor validus, dicto Rogerio suum  
terminante sermonem, clamant confuse: "Volumus

pugnam, eamus versus hostes"; et cum iis confusis clamoribus, jussu non expectato majoris, pergunt propere ad galeas, et introeuntibus omnibus subsequenter, solus impetus et tumultus galeas educit. Vertunt igitur versus Regium proras altas, ibi enim credebatur in plagia totum regis Caroli navigium reperi; verum cum jam forent in medio Fari, ubi aquae currentes dominantur et vortices, suasque ibi naturaliter vires exercent quidam ex comitis galearum, quos pridie Petrus de Aragonia destinarat ad admiratum, alta voce proclamat: "Subsistite, viri, subsistite, deponite vela, remosque comprimite". Omnes ergo, remis compressis, velisque depositis, substiterunt, et ait dictus comitus: "Nonne videtis, domini comiti, quod ventus et aquae decursus nos quantumcumque jam contrarium renitentes ad terram referunt, ubi est adhuc totus exercitus Gallicorum? nonne videtis, quod, si casu fortuito viribus venti portemur ad terram, velut naufragi hostium moriemur in manibus? " Confestim ergo versus Catonam revertunt proras, datis hostibus pupibus, et quia Messaneneses ad spolia illorum de Nicotera suspirabant anxie, ipsorumque sanguinem sitiebant, pro eo quod ibi denuo se Gallicorum militia receptabat, clamant nautae, clamant et alii superstantes: "Ad Nicoteram, ad Nicoteram". Classibus igitur regis Karoli, dimissis Reginis littoribus, reciprocantibus ad loca retrograda, et rege cum toto exercitu repetente Catonam, ac demum Brundusium redeunte, pergunt Messani et Catalani Nicoteram, et antequam transtra dimittant ad littora, ut terram recipient, comes Petrus de Catansario, qui ad custodiam ipsius terrae remanserat, cum non haberet illam hominum comitivam, cum qua terram ipsam possit a supervenientium hostium aggressibus defensare, sua in mulis arnesia farcinat, ut, dimissa terra in descensu ipsorum hostium, fugam petat.[Page 401]

Syculis ergo et Catalanis inibi potentibus aridam, comes Petrus praedictus, et omnes illius terrae incolae, hostibus derelictis exuvias, ad locorum tutamina per devia nota diffugiunt, et apud Montem Leonis et Miletum praecipue Nicoterini sub extremae paupertatis habitu se receptant. Intrant igitur libere terram solam Syculi et Catalani praedicti, et singula dirigunt spolia, de quibus votive galeas onustant, et vacua fortium galearum. Cum autem in tarsianatu Nicoterae fabricato quondam per Principem forent octo ingentia corpora vascellorum, quos dictus comes Petrus, hostium adventum praesentiens venturorum, evulsi a lateribus quibusdam tabulis, nec illos hostes praedicti de tarsianatu ad mare contraherent, Messanamque conducerent, fecerat per partes usqueaque confringi, hostes praedicti post stipata spolia, post multas Nicoterinorum exuvias in alto ..... praefatos octo vascellos, quos secum transvehere non valebant, igne supposito concremant, multasque domos ipsius terrae nihilominus ruina et incendio vastaverunt, ut terra praedicta in vastatione ac in solitudine remaneret, quae quondam facta erat quasi nidus et receptaculum Gallicorum. Et quia in illa tota dioecesi milites non remanserant gallici, seu alii defensores, cum comes Atrabatensis adhuc esset cum rege in contrata Squillacii et Cutronae, homines fere omnes illius contratae assumpserant animum rebellandi, imo jam metu hostium, qui Nicoteram sine pietate tractaverant, vexilla et bannerias sub signis dictorum hostium cogitaverant fabricare, sicque duo fratres de domo Lactariorum, natione

Calabri, singulos bonos viros de terris vicinis  
inibi ad rebellandum contra Gallicos, et ad recipiendum  
Almogaveros sagaci studio excitabant.  
Cumque Milet, et Tropeae civitates, Montis  
Leonis, et aliarum vicinorum locorum castra  
propter Gallicorum absentiam, hostiumque pavorem  
deberent conceptae rebellionis spiritum  
propalare; comes Atrabatensis cum solita equitum  
comitiva versus Montem Leonis redditum properans,  
applicuit, propter quod nonnullis terris  
hujusmodi vana proposita dilationis moderantia  
temperantibus, sola civitas Tropeae, praefatis  
Lactariis operantibus, rebellavit, timens  
forsitan praeteritam desolationem Nicoterae,  
quaे timorem similiter, nec immerito, aliis vicinis  
terris incusserat positis juxta mare.

Venient ergo Tropeam pauci Almogaveri tantum  
pro confortatione rebellium, nec tum possunt  
consuetis discursibus contratam inibi visitare,  
quia comes Atrabatensis apud Montem Leonis  
celeriter veniens, frequenti repetitione casalium  
de tropeensi dioecesi Almogaverorum ostinata  
vestigia decertavit: imo ipsa casalia cum  
militibus suis nonnunquam hostiliter visitans,  
tanta ex ipsis casalibus conservavit frumenta,  
terreneis celata sub foveis, quod famis penuriam  
illius contratae, qua gens gallica, et alia  
in Monte Leonis conveniens fugitiva, et pro[Page 402]

fuga relicto proprio incolatu, praecipue premebatur,  
multa victualium abundantia plusquam sex  
mensibus expugnavit: nam ubi exercitus in loco  
conveniens suae de bonis hostium novit indigentiae  
providere, vix in contrata potest edacis famis  
importanda penuria imminere.

CAP. XXIII

#### LANGUORES KAROLI.

Rex autem, quem languor quartanae febris  
..... praeteriti languoris reliquias molestabat,  
Brundusium cum toto navigio remeat, non minus  
melancolico humore laborans, quam febris.  
Hujus sane parosismus febris non adeo fuisset  
ad onus, si tantorum adversitate fatorum  
contra totius sollicitudinis spem non fuisset affectus.  
Sed multa erant, quae compellebant eum  
corporaliter et mentaliter infirmari; scilicet labor  
itineris, carcer Principis, et suorum fatigatio  
proximae obsidionis Reginae, cura recuperandae  
terrae deperditae, anxietas ulciscendi  
non solum in hostes, quorum nondum faciem  
videre voluerat, sed etiam in rebelles; defectus  
etiam pecuniae, pro tam grandi stipendiando  
exercitu; amissio quoque multarum exepensarum  
pro apparatibus initiati passagii, non sine gravi  
rerum et personarum dispendio consumptarum,  
contractus post haec mutuorum in Francia  
et Italia in non modica quantitate a Sede  
apostolica receptorum; ultimum insuper, quod  
eum morbo quasi immedicabili videbatur afficere,  
languorem invisibilem post filii captionem in anima  
aegra cura multiplici multifarie repetebat;  
videlicet, quod regnum illud, quod in devotione  
et fidelitate sua persistere credebatur, non solum  
in collectis et exactionibus consuetis semper  
more solito respondebat, sed erat impatiens, velut  
equinus pullus domari tempore veris incipiens,  
alia jura persolvere segretiae, ac bajulatus.  
Sub iis curis, quarum quaelibet satis  
sufficere poterat ad languorem, Brundusii diu  
aeger, quia semper ad passagium Siciliae, ut  
possit videre desideratam hostium faciem, tota  
jus intentio vertebatur, in tota Apulia biscotta  
fieri jubet ex arte, memor negligentiae filialis,  
qua praeteritum passagium, deficientibus  
biscottis, fuerat annullatum.

Magnam praeter haec collectam in toto regno  
perseverante in fide facit per officiales imponi,  
et cum acceleratione recolligi, et exequi, et, ut  
corda fidelium in fidelitate corroboret, ac ad subveniendum  
sibi realiter et personaliter animum  
alliciat subditorum, parlamentum generale indicit  
ad Fogiam celebrandum. Sed quia vini  
et frumenti maxime Fogiae magna erat illis  
temporiibus caristia, quia videbatur, quod Fogia  
non videbatur habere hospitia sufficientia[Page 403]

tanto conventui parlamenti, ubi se possent venturi  
terrarium nuntii cum tot baronibus et nobilibus,  
quos dictus rex ad hujusmodi parlamentum  
accersiri fecerat suis litteris, receptare, mutato  
proposito et edicto, jubet personas vocatas  
apud civitatem Melfiae convenire.  
Interim autem rex praedictus, quosdam judices  
suos appellans, sic quemdam Thomam de  
Brundusio dictum, ortu Barensem, et Quintavallem  
cum quodam alio, quos habebat de proditione  
suspectos, et qui, aut emulorum adinventione  
dolosa, aut opinione veridica, ut possint  
regis navigia subjectis urere flammis, incendere  
suspicabiliter dicebantur, judiciali sententia,  
ut latrones, suspendio mortis probrosi patibuli,  
legibus in hac parte non deferens, condemnavit.  
Post haec dominus Martinus summus pontifex,  
qui jam fere totam decimam, quandam  
pro Terrae Sanctae subsidio sanctione bon.  
mem. domini Gregorii Papae X recollectam, in  
subventione regis et principis, liberalitate gratiae  
spiritualis, exhauserat, non solum in regno,  
sed in tota Italia postmodum ecclesiasticorum  
proventuum decimam colligendam certis  
temporibus tribus annis beneficio grandis liberalitatis  
indulxit, et crucem contra hostes in regno  
publice praedicari. De Brundusio igitur,  
prius pro conservatione tam copiosi navigii fidelium  
suorum relicta custodia, veniens Melfiam  
debilis et mente languens, adhuc corpore  
febre quasi habituata morbosus, personaliter interesse  
vel voluit, vel nequivit.

CAP. XXIV

#### PARLAMENTUM CELEBRATUR.

Eo tum in suo regali palatio quiescente, parlamentum  
hujusmodi velut gesticulationis portenta,  
quae praesentium oculis quaedam referunt  
simulata praeludia, celebratur, ex quo nec profectus  
subditis, nec clericatui libertas, nec ipsi  
regi compendium emanavit, et singulorum labor  
et dispendium exinde potius est sequutum,  
nam velut ad partum montium gens de regno ad  
parlamentum hujusmodi maxime obtentu regis  
praesentiae convenerunt, ex quo mus tantum  
ridiculosus in elusione tantae multitudinis est  
egressus. Rege, itaque, parlamento soluto, adhuc  
agente Melfiae, nuntii ex ejus parte ad sumnum  
pontificem pro subventione pecuniae, ac  
pro aliis auxiliis, et remedii apostolicae Sedis,  
quibus rex ipse in exterminium hostium plurimum  
indigebat, tamquam dromedarii et camelii,  
cursores unum post alium romanam curiam festinatione  
sollicita visitabant.

Conradus ad haec de Antiochia jam partes aprutinas  
cum quibusdam regni exilibus, congregata  
quadam quantitate militum, impetebat,  
tentans comitatum Albae, qui ex ordinatione[Page 404]

Caesaris fuerit quandam suus, iis turbationum  
temporibus vindicare: pridie tamen apud Cellas  
in ipso ingressu regni volens noctis tempore milites  
gallicos, et quosdam campanos, qui cum  
comite Campaniae, ac quodam nobili cive romano,  
domino Stefano Genezzano nuncupato,

in dictorum Gallicorum subsidium in fronteria  
resistens, ipsius Conradi convenerant, invasione  
subitanea congregati ..... perditis  
multis militibus, quos adversarii vel in ipso  
insultu gladiis caeciderunt, vel vivos, reliquis  
fugientibus, conceperunt, debellatus tuta reciprocavit  
ad loca. Post ejus reciprocum sane regressum,  
domina Constantia uxor Petri de Aragonia  
quandam quantitatem auri de Sicilia  
per quosdam nuntios catalanos et regnicolas  
ipsi Conrado pro suorum militum stipendiis  
destinavit. Hii quidem nuntii apud Terracinam  
in quodam aligero galione transeunti ad quoddam  
castrum Ecclesiae romanae, situ et gente  
superbum, quod Seja dicitur, ut quiescerent  
provenerunt. Campania enim, et Maritima, Ecclesiae  
romanae quantumcumque subjaceat, exules  
tamen regni, cujuscumque principis inimicos,  
sed notorios proditores contratae solet receptare,  
ibique hujusmodi personae absque metu  
Ecclesiae, vel rectoris contratae, velut in tuto receptaculo,  
tamquam inter gentes liberas morabantur.  
Verum Catalani, tamquam ii, qui semper  
hostilitatem gallicam formidabant, auditio  
quod stipendiarii gallici, quos illius contratae  
rector habebat, ut posset quibusdam nobilibus  
campaninis liberius et promptius poenas exigere  
damnatorum, statim nocte ad Corradum praedictum  
cum toto auri pondere properarunt; quemdam  
tamen scutiferum catalanum cum dictis regnicolis  
in castro praedicto sub quaesiti otii gaudio  
dimiserunt. Hi sane regnicolae cum ex parte  
praefatae dominae ad nonnullos barones Marchiae,  
Aprutii, alterius partes regni, litteras  
detulissent, credebant alter in Aprutium, in Marchiam  
alter, in regni partes alter accedere. Cumque  
stipendiarii gallici per maritimam disurrentes,  
dicto catalano scutifero obviam essent,  
scutifer Gallicos de more horrens, a strata comuni  
declinavit in campum. Gallici autem ex  
eo scutiferum infamem aliquem suspicantes, quia  
a comuni semita declinaverat, post eumdem vadunt  
cursibus in occursum. Verum uno ex ipsis  
Gallicis, ut ipsum et socios Gallici vestigarent,  
metu mortis interritus, suppliciter veniam  
mortis petens altero, se suosque comites, et causam  
adventus, membris trepidantibus, reseravit,  
indicans regnicolas otiani in castro, et  
duos milites catalanos cum auro ipso mentitus  
est apud Anagniam expectare. Pergunt igitur  
Gallici ducatu scutiferi recte ad hospitium, ubi  
comites nuntii comedebant, et eos capiunt cum  
omnibus litteris dominae memoratae, ac eosdem  
sic captos ad rectorem adducunt Campaniae,  
statim Anagniam sollemnes mittentes personas  
pro militibus captisque praedictis rectoris

[Page 405]  
ejusdem carceri mancipatis: et litteris inventis  
ad dominum papam transmissis, mendax  
fama multorum longe aures verisimili figmento  
complevit, quod nuntii et aurum Conradi  
de Antiochia destinatum ad manus rectoris Campaniae  
pervenerunt.

Sane inter haec cum exules regni, qui sunt  
in Sicilia, Gallicorum captivorum morte plurimum  
affectarent, ad dominam praedictam,  
quodam forsitan animo patris interitum vindicandi,  
non minus ..... caussas studiose  
mendicaret, quibus Principem morti traderet,  
multorum infamium, et illorum, quos capitali  
odio Gallicos abhorre credebat, Messanam  
concilium convocavit; et de ipsorum praeervatione  
adduc ..... nonnisi damna gravia,  
et expensae multae Siculis poterant pervenire,  
ordinavit de morte Principis in seditioso

populo arringari.

Verum quamquam illorum de Sicilia vana  
consilia in Gallicorum praedictorum et Principis  
mortem dirigi viderentur, Messanensibus tamen  
solis tam trucibus et infandis consiliis, videlicet  
quod contra omnium mores ..... sanguinis  
..... captivi hostili bello devicti, suum assensum  
animo non dandibus, tumultu concilio  
discorditer dissoluto, dicti exules, associata sibi  
quadam sequacium suorum manu, ad palatum  
regale messanense, ubi CL Gallici sub XX Catalanorum  
custodia tenebantur, succensi nimio  
furore, immo potius ferina rabie concitati, gregatim  
incedunt; et dato palatio violento insultu  
intendendo per violentiam intrare carcerem, et  
Gallicos trucidare, Catalani custodes, quos si  
fata servassent, digni essent honoris et praemii,  
solvunt compendia pedum, et ajunt Gallicis: "Defendite  
nostras personas et vestras, quas nos  
soli non possumus ab insultantibus defensare".

Ascendent ergo Gallici per muros et tecta, alii  
per excubias fenestrarum, et viriliter se tuentur,  
ita quod expertibus eos in mortem fuit omnibus  
virilibus defensionibus aditus reseratus. Sed  
scelerati exules, ad quorum clamores jam omnes  
de terra similiter concurrerant, per littora maris  
et plateas terrae lignamina coacervant, et  
circumponunt palatio in non modica quantitate,  
et supposuerunt in diversis per girum partibus  
flammam ignis. Verum flamma et fumo valido  
usqueaque in circuitu palatii praevalentibus,  
tam custodes, quam custoditi Gallici necessario  
prosiliunt per fenestras, sperantes ad manus homicidarum  
sospites pervenire ac vitae saltem  
misericordiam expectantes. Sed saeva sceleratorum  
impietas singulos, prout ad terram in igne  
singulariter concidebant, ardentes comprimebat  
in torres, ut illos vivos aut caesos flammarum  
incendium deglutiret; multorum quoque viscera,  
quaes crudeli gladio nonnulli delectabantur exules  
aperire, ignis subjecti torrent in pruina,  
et jam assata in naturali cupiditate famelica  
lambunt, et immittunt etiam in crudelem stomachum  
velut cibum, nulla humanitatis abominatione[Page 406]

stomachando, sed lupinae potius delectationis  
ingluvie rabido esum uterum ministrando.  
Hujusmodi flammarum incendia nullus potuit  
vitare, sed omnes Gallici et custodes his infandis  
mortibus corruerunt.  
Post haec dompnus Jacobus filius dicti Petri  
de Aragonia, qui cum matre tunc Siciliae preeerat,  
contra quosdam nobiles, qui aut noluerunt  
ad tale concilium convenire, aut, si convenerunt,  
morti noluerunt Gallicorum et Principis consentire,  
rancores, et odia concipit rancorosa,  
illa inquam de domino Alaimo de Lentino, qui  
capitaneus populi generalis multa dilectionis  
affabilitate inter omnes Siculos veneratus, per  
dictum dompnum Jacobum proditorie ductus  
Panormum, et de viribus suis sagaciter tractus,  
tandem est in Aragonia futuro Petri judicio reservatus.

Interea

regina de Provincia rediens, et per  
romanam curiam transitum faciens, post magnos  
susceptos honores, post grandia munera,  
quibus non solum a summo Pontifice in pecunia,  
sed a communi civitatis Perusii in jocalibus, ubi  
tum romana Curia residebat, plurimum expensis,  
et laboribus fatigata recepit, regnum studebat,  
quadam aviditate visendi maritum, itinere  
accelerato repetere; et cum jam appropinquaret  
Apuliam, rex non minus forsan affectans reginam  
revisere, cum conjugum mutuus sit effectus  
dilectionis, quos verbi domini .....

invisibilis dono gratiae glutinatos in unam sicut  
carnis, sic voluntatum habent individualiter  
unitas, et conjungit consortium thorum, vadit  
obvius de Melfia Fogiam, ibique apud Fogiam  
reginam venientem expectat. Verum jam valetadinarius,  
et ex reliquiis praeteriti,  
et ex multiplice cogitat, et aliquorum dolore  
successum factus pleureuticus et morbo chronicus  
insanabili mortalem recidivavit in febrem, ita  
quod supervenienti reginae nullos ultra voluit  
affectus reddere conjugales, forsitan quod carnis  
debito liventibus labiis et tremescitibus brachiis  
lentos exolvit complexus.

CAP. XXV

#### TESTAMENTUM REGIS KAROLI.

Cum jam semineces artus sub convalescentiae  
desperatione tabescerent, ultimam voluntatem regalis  
providentiae ordinatione disposuit, haeredem  
suum in regno Carolum primogenitum Principis  
nepotem suum, qui jam aetatis suae duodecimum  
annum attigerat, instituens, et relinquens  
ad ejus custodiam, donec legitimam veniat  
ad aetatem, comitem Atrabatensem quasi  
tutorem et curatorem sub bajulatus nomine ordinavit,  
dominum vero Joannem de Montiforti  
comitem squillacensem in toto regno generalem  
capitaneum stabilivit, salvo semper in omnibus  
apostolicae Sedis beneplacito et mandato. Post  
haec ad ea, quae sunt animae, se convertens,[Page 407]

confessione morbosa sua studuit expiare peccata,  
ac demum tamquam princeps catholicus sanguine  
ac corpore Domini Jesu Christi animam,  
adhuc in corporea mole sedentem, cum reverentia  
multa pavit. Receptis igitur cum ingenti  
devotione ecclesiasticis sacramentis Ecclesiae,  
qui percusserat et gentes multas, et occiderat  
reges fortes, bello mortis evictus, fatorumque superatus  
insultu, gentibus insuperabilis, et invincibilis  
ferro, non sine gravissima clausi  
sub pectore punctura doloris mundi mutabilis  
consumavit agonem.

Ecce quomodo nullius est longa potentia, ecce  
qualiter summis rebus negotium est stare ....  
.. videre, quod cuncta fluunt, et nihil est in toto  
orbe, quod perstet. Videtis qualiter totius  
quondam regnator Italiae, superbis dudum tot  
terrī, tot populis imperans, animo tanto donatus,  
tanto et tam potenti stegmate nobilis, jacet  
ad Fogiam. Demum transvectus Neapolim, non  
ut homo, sed ut truncus, non ut vincens, sed ut  
ictibus lethi victus, non premens, sed oppressus,  
non imperans, non superbus, sed mutus, occubans,  
imperio consumatu, caput sine voce, pectus  
sine mente, cor sine cogitatione, sine superbia  
intestina, totusque terrea moles factus, hic  
fatorum ejus est finis, hic ..... enim exitus  
casibus prolabentem, et se a devotione gallicam  
subtrahentem. Filios habuit, filios perdidit,  
habuit successores modo haeredes, heu reges. Tam  
nobilis vita regis, tam magnanimi casus regis  
sit nobis in proverbium, veniat singulis in exemplum.  
Rex quondam Karolus diebus nostris ut aquila  
nostri generis ad coelestia montana volavit,  
ascendit praepes cacumina montis Caucasi, ad  
quem Romani vobis tam fama nequivit ascendere,  
alas sui dominii singulos expandit ad Italos,  
protexit Guelfos suarum alarum velamine, Gibellinorum  
capita tenebris obumbravit, haereticorum  
et conventicularum superbos fasciculos  
magnitudinis fervore combussit, cuius fervoris  
scintilla ecclesiasticae fidei zizanias consumptiliter  
inflammavit, et pullulantes haereses interemit,  
et quondam inaspectatae adventu suo  
servitutis regnicolarum creditus est delevisse chirographum,

et jugum captivitatis antiquae solvisse,  
ac notam totius contagionis proditoriae  
diluisse de regno; cuius conditionis imago, nec  
mirum, prostrabat pudore justitiae viduata.  
Nunc autem, ut audistis, occumbentis belli pendente  
fortuna, quae est eventibus pugnae anceps,  
regnum dimisit in dubio, ut possitis credere,  
quod interdum non cessantibus hostibus dimicetur,  
seu ut Ecclesia Dei praevaleat, regnum lacerum  
votivam restituatur ad pacem, regum  
discordia equanimitate concordiae sopiaatur, et  
jussu suo, quibus, se contentet gratia Salvatoris  
qui dixit "pacem meam do vobis, et pacem meam  
relinquo vobis", mediatrix assistat, quae sicut  
a Filio, sic a Patre, et Spiritu sancto, tamquam [Page 408]

ab uno et unico fonte procedit, qui est in  
Deitate per omnia saecula saeculorum. Amen.  
Jamque opus exegi per Domini officiales et  
procuratores in terrestri Jerusalem Romana,  
circa quod, si favere velitis, nec sit qui livoris  
oculo faetus meos velit teneros fascinare, non  
ira Jovis, aut ignis, non ferrum, vel edax vetustas  
valuerit abolere.

EXPLICIT LIBER GESTORUM REGUM SICILIAE  
A NATIVITATE MANFREDI USQUE AD OBITUM  
REGIS CAROLI, COMPOSITUS A MAGISTRO SABA  
DE MALASPINA DE URBE, DECANO MELITENSI,  
ET DOMINI PAPAE SCRIPTORE, QUEM INCEPIT  
ANNO IV PONTIFICATUS MARTINI PAPAE IV,

ET FINIVIT IPSUM DIE OBITUS SUI ANNO DOMINI  
MCCLXXXV, DIE XXIX MARTI, APUD PERUSIUM.  
*Saba Malaspina. Date: 2008-01-11*

---

[Home](#)